



1. Michaelis / Joh. Georg. / diff. de viro stante inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller / Christoph Gottf. / diff. de genuina vocum xarakter et ypostasi notione, Lipsie 1738.
3. Mosheim / Joh. Laur. / diff. de iesu Christo vindice dogmatis de mortuorum ad vitam reditu, Helmst. 1740.
4. Müller / Gottfr. Ern / diff. de papolatricia, Lipsie 1726.
5. Müller / phil. / diff. de iure Dei in Homines, jena 1701.
6. diff. de regno Israelii restauran., do, jena 1704.
7. crocodilus lachrimans, jena 1733.
8. diff. de Iesu Christo deandropo, jena 1704.
9. diff. de gloria mundi, jena 1661.



m. II
IOHANNIS MUSAEI,
THEOL. D. ET PROF. PRIMARI IN ACAD. IENENSI
QVONDAM CELEBERRIMI,

DISSERTATIO
DE
QVAESTIONE CONTROVERSA:
AN CONIVGIUM,
PRIMAEVA EIVS CONSTITV-
TIONE SALVA, INTER PLVRES, QVAM
DVOS, ESSE POSSIT?
AD MATTH. XIX, 9. ET I. CORINTH. VII, 4.

Oder:
Gründliche Erörterung der Frage:
Ob der Ehebestand, nach seiner ersten Einse-
kung, zwischen mehr, als zweyen Personen,
geführt werden könne?



EDITIO NOVISSIMA.
IENAE, APVD IO. FRID. RITTERVM, 1737.

W

IOHANNIS MVSARI
THEOL. D. E. PROF. PRIMARI IN ACAD. IENNENSI
QVODDAM GENERRIMV

DISSERTATIO

QVÆSTIONE CONTROVERSA

AN CONIVGVIVM

PRIMARI VA EIVS CONSTITV

TIONE SALVA, INTER PLVRES, QVAM

DVOS, ESSE POSSIT?


AD MATTH. XIX. 6. ET I. CORINTH. VI.

Die
Catholische Predigt und die
Widderstand, nach seiner
Kung, juchsen nicht, als
geleitet werden konnt



EDITIO NOVISSIMA
HALLÆ, APVD IO. ERID. KILIANVM, MDCC





QVAESTIO:

An Conjugium, primæva ejus institutione salva, inter plures, quam duos, unum maritum scilicet, & uxorem unam, esse possit?

§. I.



VID. primæva Conjugii institutio importet, omnium certissime discitur ex ejus explicatione, *Matth. XIX, 5. sqq.* ab ipso Christo, qui ipsa veritas est, tradita.

§. II. Ad eam vero tradendam Servatori ansam præbuerant Pharisei, duplici quæstione ipsum tentantes: Una, *an liceat homini dimittere uxorem qualibet ex causa?* Altera: *Cur Moses præcepit libellum repudii dare, & dimittere uxorem, si illam dimittere non liceat?*

§. III. Quæstionis utriusque solutionem accersit Christus scite admodum ex primæva Conjugii institutione, velut ex genuino & proprio illarum principio ac fundamento. Neque enim, an & quibus ex causis vinculum conjugale solvi, & uxor a marito separari possit, aliunde rectius cognosci & dijudicari potest, quam ex ipsa conjugii & vinculi conjugalis natura, quam primæva Conjugii institutio sancit & in suo esse specifico constituit.

§. IV. Ad priorem responsurus: *Annon, inquit, legis, quod is, qui fecit ab initio (hominem) masculum & feminam fecit eos? & dicit: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam; ostenditque, vi hujus institutionis, maritum & uxorem esse a Deo nexu ita indissolubili inter se conjunctos, ut eos separare nemini hominum liceat, nisi, ut postea docet, in casu adulterii. Quod ergo, ait ibidem, Deus copulavit, homo ne separet.*

A 2

§. V. Ad

§. V. Ad posteriorem vero respondet, Mosen non præcepisse, velut rem, sua natura indifferentem & licitam, ut uxorem quacunq̄ue ex causa vit, dato ei libello repudiū, a se dimittat & separet, sed tantum permisisse hoc, ut rem, in se quidem illicitam, & cum primæva Conjugii institutione pugnantem, sed quæ ob Judæorum *σκληροκαρδιαν*, & ad vitanda majora mala, ferenda esset. **INITIO** enim, & si ad primævam institutionem respicias, **NON FVISSE** sic, i. e. non licuisse viro dimittere uxorem quavis ex causa.

§. VI. Quam longe autem a primæva Conjugii institutione absit recepta apud Judæos, & a Mose, ob illorum *σκληροκαρδιαν*, tolerata consuetudo dimittendi uxores qualibet ex causa, ostensurus, ait porro: *Dico autem vobis, quod quicumque repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium, & qui repudiatam duxerit, is adulterium committit;* significans, utrumque pugnare cum illa, nempe *dimittere uxorem; & ducere aliam*. Illud quidem: quia, vi primævæ institutionis, vir debet *relinquere patrem & matrem, & adharere uxori suæ* nexu ita indissolubili, ut nec marito ab uxore, nec uxori a marito se separare liceat, nisi ob stuprum. Confer *Marc. X, 11. 12.* & *Luc. XVI, 18.* Hoc vero: quia, vi ejusdem, maritus & uxor *non sunt duo, sed una caro*, ut simul ac maritus ducit aliam uxorem, vel uxor dimissa nubet alii viro, caro una esse desinant, torum conjugalem violent, & adulterii culpam incurrant, quos in unam carnem Deus conjunxerat: Vir quidem per commixtionem carnalem cum alia muliere, vinculo conjugali cum uxore dimissa adhuc manente; uxor dimissa autem per commixtionem carnalem cum alio viro, manente adhuc vinculo conjugali cum marito priori.

§. VII. Quod si vero, vi primævæ institutionis, nec viro uxorem dimittere, & aliam ducere; nec uxori dimissæ nubere alii viro licet, citra adulterii culpam, uti Christus *d. l.* docet: verba enim: *ab initio non erat sic;* & sequentia hæc: *Ego autem dico vobis, quod quicumque dimiserit uxorem &c.* haud dubie digitum intendunt ad primævam Conjugii institutionem; quid aliud hinc sequitur, quam, vi primævæ institutionis, tantum duos debere matrimonio jungi, & in unam carnem esse, & quemadmodum, qui dimissa uxore ducit
aliam,

aliam, per hoc violat torum conjugalem, & adulterium committit, quod, uxore adhuc vivente (licet dimissa, vinculo conjugali tamen adhuc sibi conjuncta) aliam ducit, & carnaliter se cum ea commiscet; ita alium quemvis polygamum multo magis violare torum conjugalem, & committere adulterium, quod, uxore prima vivente, sibi non solum vinculo conjugali, sed & toro adhuc conjuncta, ducit aliam, & cum utraque se carnaliter commiscet. Est enim, ex parte vinculi conjugalis, utrobique par ratio: cum uterque uxoribus duabus vinculo conjugali sit obstrictus. Unde si is, qui uxori dimissæ, cui vinculo conjugali adhuc obstrictus est, aliam ei superinducit, superinducendo illam adulterium committit, ille etiam, qui uxori, vinculo conjugali & simul toro sibi conjunctæ, superinducit aliam, superinducendo illam committet adulterium. Ubi enim eadem militat ratio legis, ibi & legem eandem locum habere necesse est. Ex parte copulæ carnalis autem major ratio est, cur torum conjugalem violet, & adulterium committat, qui simul uxorem priorem, & alteram superinductam in toro habet, & cum utraque consuecit, quam qui unam tantum habet in toro, ab alterius consuetudine conjugali autem abstinet. Nam consuetudo & copula carnalis viri unius cum uxoribus duabus pugnat e diametro cum unitate & inviolata sanctitate tori conjugalis, neque unum, sed duos toros habet, qui uxoribus duabus consuecit, quorum uno alter violatur. Consuetudo autem & copula carnalis viri, qui uxori dimissæ superinduxit aliam, cum una & sola superinducta, non pugnat cum unitate tori conjugalis, nisi secundum quid & ex parte vinculi conjugalis, quo uxori dimissæ adhuc conjunctus est: neque duos, sed unum torum habet, qui uni tantum consuecit, proprie loquendo: cum ab altera toro separatus sit. Ubi autem major militat ratio legis, ibi & legem magis valere necesse est.

§. VIII. Hic vehementer se torquent Polygamias propugnatores moderni, & inter illos Auctor POLITICI, ut inscribitur, DISCURSVS DE POLYGAMIA, qui se THEOPHILVM ALETHAEVM vocat, nomine, uti videtur, ficto, sibi que minime congruo. In Discursu enim toto nihil agit minus, quam ut Θεόφιλον, h. e. *Dei amantem* se præbeat, & τῷ ἀληθείῃ, h. e. dicendæ veritati

studeat. Cum primis vero ut vim argumenti, quod ex *Matth. XIX, 9.* deduci, & Polygamiae propugnatoribus opponi solet, elidat & evertat, omnem movet lapidem. Videt enim, eo jugulum peti causae pessimae, cujus patrocinium in se recepit: nempe tantum abesse, ut Polygamia simultanea virilis juri naturae & gentium, juri divino, ut & juri Civili contrarietur, ut potius cum omnibus exactissime concorderet, adeo ut non tantum omnes homines insigniter delinquant, sed praecipue Magistratus, cum Politicus, tum Ecclesiasticus enormiter, & hodie post tantam lucem (si tenebrae lux sunt) ex hoc discursu omnibus legentibus ortam, inexcusabiliter in omnia jura peccet, qui illam improbare, impugnare, impedire, capitaliter prohibere, vel non omnibus modis promovere velit. Si enim vi primae institutionis, *Matth. XIX.* a Christo declaratae, Conjugium tantum inter duos esse debet, maritum unum, & unam uxorem, & adulterium committit, quisquis uxori uni superinducit aliam, sequitur ultro, polygamiam, ut cum primae institutione, ita & cum jure naturae ac divino pugnare. Conjugium enim est juri naturae, nec aliter per naturam, aliter ab auctore naturae, Deo, verbis expressis, sed modo eodem utrobique institutum est, ut in Theosis de Conjugio ostensum fuit: & ipsa institutio divina, ejusque a Christo tradita explicatio habet vim juris divini, legisque, quoad specificationem actus obligantis, ut qui inire volunt matrimonium, eo modo, quo divinitus institutum est, non aliter, illud ineanit.

§. IX. Auctor quidem *Discursus de Polygamia p. 79. n. LXXIII.* persuasum sibi habet, ex novo foedere five ex Scriptura Novi Testamenti nulla argumenta contra Polygamiam posse deduci. Sed fallit, aut fallitur. Quia enim Polygamia venditur pro Conjugio, de natura autem conjugii ex ejus primae institutione ferendum est iudicium, certe primaria sedes controversiae de Polygamia, an legitimum & primae institutioni conforme conjugium? an vero adulterina & cum primae conjugii institutione pugnans unius viri cum pluribus uxoribus conjunctio atque commixtio sit? constituenda est in ipsa primae institutione Conjugii, & hinc petenda sunt argumenta. Primae autem institutio Conjugii in Scriptura Novi Testamenti a Christo ipso explicata est clarius, quam ullibi locorum in
Scriptu-

Scripturis V. T. Quidni ergo ex novo fœdere & contenta in eo
 explicatione primavæ institutionis Conjugii hanc in rem deduci pos-
 sint argumenta solida?

S. X. Dicit, *in Novo Testamento nullas novas leges latas, sed
 quicquid est peccatum in Novo; etiam esse & fuisse peccatum in Ve-
 teri Testamento &c.* - - Quia igitur lex non dicit; non concupisces
 plures uxores, seu non prohibet πολυγυναικίαν, sicut dicit, non con-
 cupisces ulterius uxorem, ubi prohibet πολυανδρίαν seu multivira-
 tum, unde scimus, πολυγυναικίαν esse peccatum &c.

S. XI. Sed ratio hæc plane lubrica est. Quemadmodum
 enim non inficiamur, *in Novo Testamento nullas novas leges latas esse,
 sed quicquid est peccatum in Novo, etiam esse & fuisse peccatum in Ve-
 teri Testamento:* ita nec Auctor diffiteri potest, veteres leges a Chri-
 sto explicatas, & a traditionibus Pharisaicis ac ψευδεσμωνείαις libera-
 tas esse. Ita enim sub finem citati n. LXXIII. inquit: *Christus non
 venit in mundum, ut novis legibus homines oneraret, quanquam ve-
 teres a traditionibus Phariseorum & ψευδεσμωνείαις in suis concioni-
 bus liberaverit.* Atque hinc fieri potest, ut aliquid, quod in V. T. a
 Judæis pro peccato habitum non est, ob non recte intellectam vim
 legum veterum, in N. T. a fidelibus pro peccato recte habeatur, ha-
 bendumque sit, ob vim veterum legum, a Christo per adhibitam
 explicationem claram & perspicuam omnium oculis & mentibus
 expositam, & a Pharisaicis traditionibus vindicatam. Sic dimittere
 uxorem, dato ei libello repudii, & aliam ducere, in V. T. pro pec-
 cato non habebatur, ob non recte intellectam vim legis, in primæva
 conjugii institutione contentæ, quod tamen in N. T. pro peccato,
 cum adulterio conjuncto, recte habetur, ob vim ejusdem legis, a
 Christo clare ostensam & demonstratam.

S. XII. Deinde nec illud simpliciter verum est, quod quic-
 quid in N. T. est peccatum, etiam esse & fuisse in V. T. peccatum, si
 assertio intelligatur de peccato, quod committenti imputatur ad cul-
 pam. Potuit enim in V. T. in aliqua lege certis de causis a Deo
 dispensari, ut ob divinam dispensationem peccatum non esset, h. e.
 ad culpam non imputaretur, quod tamen in Novo Testamento,
 dispensatione divina sublata, vere peccatum est, & committenti ad
 culpam

longo

culpam imputatur. Sic multi in ea sunt sententia, Deum dispensasse in Polygamia Patrum V. T. atque in lege de matrimonio inter duos tantum, maritum unum & unam uxorem, constituendo, quam primæva conjugii institutio in se continet, ut plures habere uxores sub V. T. in sanctis Patribus peccatum non esset, quod jam sub novo Fœdere, dispensatione divina per Christum sublata, æque in omnibus grande peccatum est.

§. XIII. Quod porro in verbis allegatis Auctor ait: *Quia igitur lex non dicit: non concupisces plures uxores, seu non prohibet πολυγαμίαν, sicut dicit: non concupisces alterius uxorem; ubi prohibet πολυανδρίαν seu multiviratum, unde scimus, πολυγαμίαν esse peccatum?* ad id respondemus, legem etiam non dicere: *Non dimittes uxorem tuam & ducet aliam;* & tamen *dimittere uxorem suam, & ducere aliam*, peccatum, & quidem adulterium est, docente Christo, & ipsomet auctore fatente. Unde ergo sciri poterat, adulterium committere, quisquis dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam; inde poterat etiam sciri, Polygamiam esse peccatum adulterii, nempe ex primæva institutione conjugii sciri utrumque & poterat & debebat. Ea enim sancitum erat, ipsomet Christo interprete, ut duo tantum, maritus unus, & una uxor, vinculo indissolubili jungantur in carnem unam, ut quisquis uxori, sive illegitime dimissæ, sive in toro conjugali retentæ, superinducit aliam, torum conjugalem violet, & adulterium committat, ut ex primæva institutione, a Christo explicata, hæcenus ostensum est. Præterea in legibus moralibus quæ de uno sexu dicuntur, ea procedunt etiam de altero sexu. Obligant enim hominem, ut naturam rationalem, absque sexu discrimine, & qua lege dictum est viro, *non concupisces alterius uxorem;* ea quoad rem etiam dictum est mulieri, *non concupisces alterius maritum:* alias concupiscentia inordinata viri erga alterius uxorem peccatum esset in viro; concupiscentia inordinata autem mulieris erga alterius maritum non esset peccatum in muliere, quo nihil dici posset absurdus.

§. XIV. Quod attinet ad legem, in primæva conjugii institutione contentam, non quidem nos latet, nonnullos, & cumprimis Pontificios, distinguere inter *institutionem & præceptum* sive legem, quod

quod institutio tantum, quid secundum se Deo placeat, ostendat, nihil autem jubeat aut vetet, *præceptum autem* sive lex jubeat vetetve, quæ fieri aut non fieri debeant. Quod si præcise de exercitio actuum committendorum aut omittendorum intelligatur, nos facile largimur. Verum hoc loco quæstio non est de lege, ipsum actuum exercitium præcipiente aut prohibente, sed de lege, actus secundum se & in suo esse specifico sanciente. Atque hic intrepide asserimus, omnem institutionem habere vim legis, nec solum dicere, quod res instituta secundum se, si sic ut instituta est, fiat, Deo placitura sit, sed jubere etiam, ut sic, non aliter fiat, vel si secus fiat, Deum offensum iri, & actum ipsum peccaminosum, & ipso jure nullum fore. Quod universaliter de omni institutione procedit, & ubi de divina institutione constat, nemo, qui quidem mentis compos sit, aliam legem expressam, qualiter res secundum suam rationem specificam fieri debeat, præcipientem, expectabit: cum legem hanc omnium consensu ipsa divina institutio constituat. Sed propius ad rem accedemus.

§. XV. Auctor *Discursus Politici*, quamvis persuasum sibi habeat, (falso tamen) ex Novo Testamento *nulla argumenta contra Polygamiam deduci posse, n. LXXIII.* tamen liberalem se futurum, & ne quicquam suo discursui deesse videatur, etiam illis satisfactorum promittit, qui ex Novo Test. Polygamiam oppugnant. Quo successu videbimus.

§. XVI. *Præcipuus autem, inquit, locus, ubi causa sue arcem ponunt, est Matth. XIX. ubi commode usurpari possit illud, quod ad Eliam dicit Obadia i Reg. XVIII, 10. Nulla fuit natio nec regnum, quo non miserit Rex meus te quæstum, & dicendo non est hic &c. Ita etiam hostes Polygamias in omnibus locis Scriptura Polygynacias prohibitionem quæsiverunt, sed nusquam invenerunt.* Quam commode intempestivus ille propugnator Polygamias, a Christo ejusque Ecclesia universa inde ab initio rejectæ & damnatæ, huc transferat factum Saulis, Israelitarum Regis, qui servos suos in omnes nationes & regna miserat ad quærendum Eliam, nunc non dispiciam. Illud saltem moneo, vel potius ex superioribus hic repeto, recte constitui arcem præsentis nostræ causæ in loco *Matth. XIX.* Quæstio enim

de Polygamia, quæ hic venit in controversiam, concernit conjugium, quoad speciem actus spectatum, uti supra dictum, & vertitur cardo rei in hoc: an conjugium in suo esse specifico; sive an ipsa natura legitimi conjugii consistat in conjunctione unius tantum mariti & unius uxoris, ut hi duo tantum sint & esse debeant in unam carnem? an verò unus etiam maritus, & duæ, tres, pluresve uxores recte conjungi, & in unam carnem esse possint? Sanctio autem sive constitutio conjugii in suo esse specifico consistit in primæva ejus institutione, cum hominum mentibus natura implantata, tum in primis Protoplastorum nuptiis verbis claris a Deo expressa, & a Mose *Genes. II, 24.* literis consignata, quæ est genuinum & proprium hujus quæstionis controversiæ principium, in quod ultimo resolvenda sunt, quæ ultro citroque ad eam adstruendam aut destruendam obiciuntur & respondentur. Et quia eam Christus *Matth. XIX.* repetivit, uberius declaravit, & a Phariseorum corruptelis vindicavit, quidni in hac maximi momenti controversia, qua contra unanimem Ecclesiæ universæ consensum Novatores post mille sexcentos, & quod excurrit, annos demum Polygamiam ex orco quasi revocare, & in orbem Christianum postliminio reducere annuntur, illum consulamus, quem Deus voce coelitus delata nobis audiendum commendavit, & sitne Polygamia divinæ institutioni conforme conjugium? an vero pugnans cum ea viri unius & plurimum mulierum consortium & adulterium? ex declaratione ejusdem, ab illo tradita, discamus? Dispiciamus ergo, quid in probatione, quæ ex *Matth. XIX.* contra polygamiam adferri solet, Auctor desideret.

§. XVII. *Ne verbum enim*, inquit, *hic extat de Polygamia, sed de divortio, de quo querebant Pharisei, est sermo.* Quo quid sibi velit, non facile apparet. Primum enim, si faciamus verum esse, quod dicit, *ne verbum extare in hoc loco de Polygamia*: num propterea non poterit per bonam consequentiam ex eo probari, polygamiam pugnare cum primæva institutione conjugii, & importare adulterium? Quid enim: annon etiam *Gen. II, 24.* in primæva conjugii institutione *ne verbum* quidem extat de divortio, Judæis recepto, quo maritus uxorem, dato ei libello repudii, dimittebat, & ducebat aliam, de quo Pharisei, essetne licitum, querebant?

&

& tamen Christus ex loco illo recte & solide evincebat, divortium hoc esse illicitum, & nuptias novas cum alia, in locum dimissæ ducta, esse adulterium. Norunt sane qui prima Logices rudimenta vix labris primoribus attigerunt, conclusionem esse diversum quid a medio concludendi, neque ad probationem rectam & congruam requiri, ut in medio concludendi vel verbum extet de eo, quod ex illo concluditur, sed sufficere, si medium conclusioni sit *συγγενές*, domesticum, & proprium, atque necessariam cum extremis conclusionis connexionem habeat.

§. XVIII. Deinde quod in loco citato *Matth. XIX, 9. ne verbulum extet de Polygamia*, falsissimum est. Extant enim ibi verba expressa de conjugio viri unius, qui uxori, illegitime dimissæ, & sic solo toro, non vinculo conjugali, a se separatæ superinducit aliam, atque adeo toro quidem uni, vinculo conjugali autem utrique uxori conjunctus est. Conjunctio autem viri unius cum duabus uxoribus per vinculum conjugale, quid aliud est, quam Polygamia? Neque obstat, quod uni tantum consuevit, & ab alterius consuetudine abstinet. Nam essentia conjugii consistit in vinculo conjugali, quod Auctor *internum vinculum* appellat, non in concubitu & cohabitatione externa.

§. XIX. Dicit Auctor Discursus: Christi intentionem tamen *Matth. XIX.* non fuisse, de omni agere Polygamia, sed tantum de Polygamia, qua vinculo conjugali maritus uxoribus duabus quidem, sed toro & cohabitatione uni tantum conjunctus est, & trahi proinde verba Christi, præter ejus intentionem, ad impugnandam Polygamiam alteram, qua quis duabus vel pluribus uxoribus vinculo conjugali, & simul toro ac cohabitatione externa conjunctus est.

§. XX. Resp. Christi intentionem fuisse de Polygamia, qua vinculo conjugali, non autem toro maritus unus duabus uxoribus conjunctus est, non diffitemur. Pharisei enim proposuerant ipsi quæstionem de consuetudine, apud Judæos recepta, qua maritus temere & quavis de causa uxorem suam dimittebat, & aliam ducebat, an recte haberet? Et quia illi nesciebant, maritum esse eo in casu uxori dimissæ adhuc vinculo conjugali conjunctum, & per nuptias cum altera superinducta fieri Polygamum, & consequenter adu-

rum, Christus quæstionem, sibi propositam, discussurus, ex primæva conjugii institutione probat utrumque, nempe uxorem *dimissam esse dimittenti adhuc vinculo conjugali conjunctam*: cum vi primævæ institutionis vinculum conjugale solvi non possit, nisi in uno fornicationis sive adulterii casu; & *nuptias cum altera superinducta inferre Polygamiam*, cum primæva conjugii institutione pugnantem, adeoque adulterium: hujus enim vi duos, non tres debere esse in unam carnem; & proinde torum conjugalem, quem cum uxore priore constituebat, & jure ad finem vitæ usque continuare debebat, violari per concubitum cum altera superinducta, & importare adulterium. Inde autem non sequitur, ex iisdem verbis Christi, quibus conjugii primæva institutio explicatur, non posse etiam efficaciter probari & evinci, alteram quoque polygamiam, quæ est mariti unius & plurium uxorum, vinculo conjugali, & simul toro inter se junctorum, pugnare cum primæva institutione conjugii, & importare adulterium. Ad probationem enim, ex prædictis verbis Christi recte deducendam, non requiritur necessario, ut Christus idem illud, quod nos, illis probare intenderit, sed sufficit, si ratio sive medium concludendi, quod in illis continetur, cum conclusionis extremis necessariam connexionem habeat. Est enim nostrum ex illis deductum, argumentum, perinde ut argumentum Christi, artificiale, quod suam vim concludendi non habet proxime ab auctoritate vel intentione Christi, sed ex necessaria habitudine medii ad extrema conclusionis. Medii concludendi autem, quod *Matth. XIX.* in verbis Christi continetur, ad nostram & Christi conclusionem una & eadem habetudo est.

§. XXI. Argumentum principale, de utraque concludens polygamia, potest hunc in modum proponi: Quodcumque conjugium pugnat cum primæva conjugii institutione, & sua intrinseca natura importat adulterium, illud est illicitum & ipso jure nullum. Atqui omnis polygamia pugnat cum primæva conjugii institutione, & sua intrinseca natura importat adulterium. Ergo Polygamia omnis illicita & ipso jure nulla est.

§. XXII. Major propositio evidens est, & ab adversa parte ultro conceditur. Minor autem bimembris est. Unum ejus membrum est: Omnem polygamiam pugnare cum primæva conjugii

jugii institutione. Alterum, omnem polygamiam sua intrinseca natura includere adulterium. Prius membrum probatur: quia conjugium, vi primæ institutionis, est inter duos, non inter tres, vi verborum: *Et erunt (maritus & uxor) in carnem unam*; quæ Christus declarat, vocula *duo duo*, expresse addita; *Et erunt duo in carnem unam*, & subjicit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Sed in Polygamia omni tres minimum sunt, unus nempe maritus, & uxores duæ, qui tres non possunt esse in unam carnem, sed semper divisionem, unitati oppositam, involvunt, ut si cum uxore altera maritus fiat una caro, cum priore una caro esse desinat, ut in Thefi LXI. de Conjugio ostensum est. Posterius autem membrum probatur ex verbis Christi *Matth. XIX, 9*. hoc prosyllogismo: Quicumque uxori, vinculo conjugali sibi in unam carnem conjunctæ, superinducit aliam, is per concubitus cum altera violat torum conjugalem, quem cum priore uxore constituit, & committit adulterium. Atqui omnis polygamus uxori, vinculo conjugali sibi in unam carnem conjunctæ, superinducit aliam. Ergo omnis Polygamus per concubitus cum altera violat torum conjugalem, quem cum uxore priore constituit, & committit adulterium.

§. XXIII. Prosyllogismi hujus propositio minor de Polygamo, qui simul vinculo & toro conjugali uxoribus duabus conjunctus est, prorsus evidens est, & conceditur a parte adversa ultro. Neque de Polygamo, qui uni tantum uxori toro; duabus autem vinculo conjugali junctus est, eam inficiari pars adversa audet, sed scribit *n. LXXIII. p. 81*. expresse, uxorem dimissam esse adhuc, *quoad vinculum internum*, dimittentis mariti uxorem, & alteram superinductam etiam esse ejus uxorem, atque adeo maritum, qui dimissa uxore ducit aliam, uxori priori, vinculo conjugali sibi adhuc in unam carnem conjunctæ, superinducere uxorem aliam.

§. XXIV. Major autem propositio illius fundatur in verbis Christi: *Dico autem vobis, quod quisquis dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, committit adulterium*. Quæ Christi assertio non alia nititur ratione, quam quod, qui dimissa uxore ducit aliam, cum uxore dimissa adhuc vinculo conjugali in unam carnem conjunctus sit, & per nuptias novas cum superinducta to-

rum conjugalem, quem vi vinculi conjugalis adhuc cum ea constituit, violet: quæ tori conjugalis violatio per novas nuptias & copulam carnalem sive carnalem commixtionem cum superinducta, docente Christo, formale adulterium est.

§. XXV. Ad hanc prosyllogismi propositionem majorem jam omnis redit difficultas, & in quonam consistat ratio adulterii, quod committit, qui uxori dimissæ superinducit aliam, cardo & summa rei vertitur. Quod si evictum fuerit, eam consistere præcise in hoc, quod uxori dimissæ vinculo conjugali adhuc obstrictus sit maritus, eam dimittens, & per novas nuptias cum alia superinducta torum conjugalem, quem vi vinculi conjugalis adhuc cum ea constituit, violet, tum prosyllogismus noster, atque adeo probatio nostra tota stabit invicta, & recte concludet de omni polygamia, atque sic de ea etiam, qua maritus unus duabus vel pluribus uxoribus simul vinculo conjugali & toro conjunctus est, non obstante, quod de hac posterioris ordinis polygamia Christus non actu egerit aut agere intenderit. Qui enim duas vel plures uxores simul vinculo conjugali & toro sibi conjungit, is non minus per novas nuptias & copulam carnalem cum superinducta violat torum conjugalem, quem cum uxore priore constituit, quam qui solo vinculo conjugali duabus, toro autem uni tantum uxori actu conjunctus est, ut modo ostensum. Illud vero haud difficile evinci potest ex ipsis Christi verbis *Matth. XIX, 9.* quibus quando dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium;* necesse est, ut ratio adulterii, quod incurrit maritus, qui dimittit uxorem, & aliam ducit, in alterutro horum constituatur: nempe vel in eo, quod dimittit uxorem suam illegitime, vinculo conjugali adhuc manente; vel in hoc, quod dimissæ, cui vinculo conjugali adhuc obstrictus est, superinducit aliam, & per carnalem commixtionem cum illa torum conjugalem, quem vi vinculi conjugalis cum uxore priore, licet dimissa, adhuc constituit, violat. Tertium, in quo sub ulla specie veri adulterii ratio constitui queat, nec in verbis Christi continetur, nec aliunde dari potest. Sed in priori constitui ea nequit: cum ne fando quidem auditum sit, per hoc aliquem committere adulterium, quod se ab uxore sua separat,

&

& ab ejus consuetudine abstinet. Quamvis enim hac separatione & abstinence a consuetudine conjugali fides conjugalis & jura tori conjugalis, quibus uxor, velut socia & pars ejus, gaudet, suo modo violentur, ex usu loquendi tamen non omnis violatio fidei & tori conjugalis adulterium est, aut dicitur, sed tantum violatio fidei & tori conjugalis per consuetudinem & commixtionem carnalem cum alia muliere, ex parte mariti, vel cum alio viro, ex parte uxoris. Facendum ergo est, quod in posteriori ratio adulterii a Christo constituatur.

§. XXVI. Neque est, quod quis definitionem adulterii, quæ in jure Civili traditur, obtendat, dicatque, *adulterium esse concubitum cum alterius uxore*, vel *violationem tori alieni*; cum vero, qui vel dimissæ, vel adhuc toro sibi conjunctæ uxori superinducit aliam, non concumbere cum alterius, sed cum sua uxore: ducere enim illam per mutuum consensum in suam uxorem; nec violare torum alienum, cum soluta sit, nec torum vel habeat, vel eum alio constituat, quam priori superinducit. Non, inquam, est, quod quis ita excipiat. Primum enim quod adulterium committat, qui dimittit uxorem suam, & ducit aliam, verba Christi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, & duxerit aliam, committit adulterium*, expresse habent. Quia autem, qui dimittit uxorem suam & ducit aliam, nec dimittendo eam, nec ducendo aliam, concubitum peragit cum alterius uxore: dimissio enim uxoris non importat concubitum, & quæ dimissæ superinducitur, non est viri alterius uxor & socia tori alterius, sed soluta; res ipsa loquitur, quod voce *adulterii* Christus non eo angusto utatur significato, quo jus Civile, sed laxiori, quo adulterium est & dicitur omnis concubitus, cum viri, matrimonio alligati, cum alia sive alligata sive soluta muliere, tum mulieris, matrimonio alligatæ, cum alio sive alligato sive soluto viro. Qua latitudine etiam vox adulterii alias, non tantum in vulgari usu loquendi, sed etiam apud Theologos & Jureconsultos communiter accipitur, & quod alligatus cum soluta, vel alligata cum soluto committit, *adulterium simplex*; quod autem alligatus cum alligata sive maritus aliquis cum alterius uxore committit, *adulterium duplex* appellatur. Deinde qui uxori, sive vinculo conjugali solo, sive vinculo

lo & simul toro conjugali sibi conjunctæ, superinducit aliam, licet alteram etiam per consensum in uxorem suam, & in torum suum adsciscere & nuptias cum ea inire præsumat, quia tamen, vi primæ institutionis, conjugium non nisi inter duos esse potest, potestatem consentiendi novas nuptias, aliamque, licet solutam, in uxorem & torum suum adsciscendi is non habet, quamdiu prior & legitima illius uxor vivit, sed consensus utrinque ipso jure nullus est, nec conjug, sed adultera est, quæ uxori legitimæ, licet consensu utrinque libero, superinducitur, & concubitus cum illa non conjugalis, sed adulterinus est. Quod ex eo etiam constat, quod d. l. Christus adulterii damnat, cum maritum, qui, uxore sua dimissa, cum alia, licet soluta; tum uxorem dimissam, quæ cum alio viro, licet etiam soluto, matrimonium inicit. Cujus rei causa alia esse non potest, quam quod, qui uxori jam vinculo conjugali est obstrictus, non amplius habeat jus & potestatem cum alia, licet soluta, novum inveniendi matrimonium, quamdiu prior & legitima uxor vivit; & quæ marito jam vinculo conjugali est obstricta, non amplius habeat jus & potestatem cum alio, etsi soluto, novum inveniendi matrimonium, quamdiu prior maritus vivit. Tertio quæ uxori illegitime dimissa superinducitur, licet soluta sit, nec torum habeat, quia tamen adsciscitur in torum conjugalem, cujus, vi vinculi conjugalis, adhuc durantis, pars & socia est prior & legitima uxor, concubitus cum ea omnino est violatio tori conjugalis, cum ex parte superinducentis illam, tum ex parte superinductæ. Ex parte illius quidem: quia vi primæ institutionis, per quam non nisi duo, ut in una carne, ita in uno toro esse possunt, superinducens non habet jus & potestatem mulierem aliam in unitatem tori sui assumendi, & violat jura tori, quibus prior legitima uxor vi primæ institutionis conjugii adhuc gaudet, committitque adulterium, quodcumque cum superinducta concumbit. Ex parte hujus verò: quia superinducta, primæ institutione conjugii salva, non potest socia & pars esse tori superinducentis, quamdiu prior & legitima ejus uxor vivit, & violat proinde ipsa etiam jura tori, quibus prior uxor vi primæ institutionis conjugii adhuc gaudet, atque committit adulterium, quodcumque cum superinducente concumbit. Atque hæc, iisque innixa propositio

fitio

sitio major tota superioris nostri prosyllogismi tantisper stabunt inconcussa & invicta, dum alia ostendatur ratio adulterii, quod vi verborum Christi, incurrit, qui uxorem suam extra causam stupri dimittit, & aliam ducit.

§. XXVII. Videamus ergo, quid ad illam ejusque probationem pars adversa excipiat. *Nec, inquit p. 81. verba illa: Quicumque se separaverit ab uxore sua, excepta fornicatione, & duxerit aliam, mæchatur: ullo modo evincunt, mæchationem consistere in superinductione alterius seu Polygamia. Quomodo enim sit intelligendum ipse Matthæus explicat cap. V, 32. dum dicit: qui se separaverit ab uxore sua, excepta fornicatione, facit eam mæchari, & qui separatam ducit, mæchatur.* Summa exceptionis redit huc: rationem adulterii, quod committere dicitur, qui dimittit uxorem extra causam stupri, & aliam ducit, in neutro constitui posse, nec in eo, quod dimittit uxorem, nec in hoc, quod aliam ducit: cum is plane non mæchetur, proprie quidem, sed tantum improprie mæchari sive adulterium committere dicatur, quod dimittendo uxorem faciat, ut uxor dimissa adulterium committat, & quod verbum *μοιχεύειν* in verbis Christi sic improprie accipiendum sit, pro eo quod est *facere, ut uxor dimissa mæchetur*, contendit *Matthæum cap. V, 32. docere, dum dicit: Qui separaverit se ab uxore sua, excepta fornicatione, facit eam mæchari.*

§. XXVIII. Verum hæc exceptio modo non uno inepta est. Primum enim verbis hisce *Matth. V, 32.* Christum (non enim *Matthæi*, sed ipsius Christi verba sunt) voluisse *explicare, quomodo intelligendum sit*, quod postea in solutione quæstionis, *cap. XIX, 7.* a Pharisæis sibi proponenda, dicturus erat, nempe *quicumque se separaverit ab uxore sua, excepta fornicatione, & duxerit aliam, mæchatur* & docere, *mæchari* sibi heic idem esse, atque *facere, ut uxor separata mæchetur*, unde Auctor probabit? Utrumque cadit in virum, qui, dimissa uxore sua, ducit aliam: nempe dimittendo eam, cum se continere non possit, *facit eam mæchari*; & ipse etiam ducendo aliam, cum priori adhuc vinculo conjugali obstrictus sit, *mæchatur*. Utrumque etiam tribuit ei Christus: illud quidem *Matth. V, 32.* hoc vero *cap. XIX, 9.* Quod autem in hoc posteriori loco, & in hisce

C

quidem

quidem verbis: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, mœchatur*; verbum *μοιχᾶται* non significet proprie mœchatur sive adulterium committit, sed improprie, *facit mœchari*, sive *facit ut uxor dimissa mœchetur*, id neque in hoc ipso, neque in altero loco *Matth. V, 32.* neque alibi usquam locorum a Christo, vel Matthæo, vel ullo alio Scriptore sacro asseritur, aut leviter innuitur, sed hoc, quicquid est, totum fingitur sine fundamento, & contra receptum loquendi usum ac consuetudinem.

§. XXIX. Cum primis vero notatu dignum est, quod *Matth. V, 32.* Christus loquitur simpliciter de divortio, non habita ratione superinductionis alterius uxoris, quæ divortium, Judæis receptum, communiter consequi solebat. Dicit enim tantum: *Quisquis repudiaverit uxorem suam, nisi stupri causa*; non addito: *& aliam duxerit*; sicut etiam *v. 31.* dictum veterum, quod Christo ansam dederat, de nullo divortio per libellum repudii loquebatur. Unde Christus non poterat hic perinde, ut *Matth. XIX, 9.* addere prædicatum, *μοιχᾶται, mœchatur sive adulterium committit.* Nam per nudum divortium sive per nudam uxoris dimissionem non committitur adulterium, ut paulo ante ostensum fuit. Quia autem uxorem, quæ continentæ dono non pollet, per divortium adulterii periculo exponit, qui eam temere & quavis de causa dimittit sive a se separat, facitque ut vel nubat alteri viro, cum sibi adhuc vinculo conjugali obstricta sit, vel alterius cujusvis libidini se exponat, recte & rei substratæ prorsus convenienter dicit heic Særvator: *Quisquis repudiaverit uxorem suam, nisi causa stupri, facit eam mœchari.* In altero autem loco *Matth. XIX, 9.* Christus non agit de nudo divortio, sed de divortio, cum novis nuptiis, quibus in locum uxoris rejectæ adsciscitur alia, conjuncto: addit enim expresse: *ET ALIAM DUXERIT, μοιχᾶται, mœchatur sive adulterium committit.* Tantum autem abest, ut loco priori, *cap. V, 32.* scilicet *Matthæi*, per prædicatum, *facit eam mœchari*, explicetur, *quomodo in cap. XIX, 9.* ejusdem Evangelistæ prædicatum, *μοιχᾶται, mœchatur, intelligendum sit*, nempe eo significatu, quo *μοιχᾶσθαι* idem sit, quod *facere mœchari*, ut potius quemadmodum loci utriusque diversa sunt subjecta, & illius subjectum est, *quisquis repudiaverit uxorem*

UXOREM

uxorem suam; hujus vero, *quisquis repudiaverit uxorem suam, ET DUXERIT ALIAM*: ita & prædicata utriusque diversa sint, & neutrum per alterum explicari possit aut debeat. Qui enim dimittit uxorem suam, nisi ducat aliam, non mœchatur, sed tantum facit, ut dimissa mœchetur. Qui autem dimittit uxorem suam, & ducit aliam, is præterquam quod facit, ut uxor dimissa mœchetur, ipse etiam mœchatur.

§. XXX. Deinde si quis non temere & absque ratione, sed ad ductum sanæ rationis & regulis bonæ interpretationis convenienter statuere velit, *Matth. XIX, 9.* verbum *μοιχᾶσθαι* explicandum esse per *facere mœchari*, ei primo omnium probandum incumbet, significationem usitatam & propriam non posse in illo verborum contextu locum habere. Hæc enim significatio impropria est, ad quam citra necessitatem deflectere non licet. Quodvis enim verbum stat pro suo significato famosiori, hoc est, usitato & proprio, ubicunque eum contextus admittit. Deinde probandum incumbet eidem, verbum *μοιχᾶσθαι* usurpari quandoque pro *facere mœchari*. Si enim nusquam in hoc significato usurpatum inveniatur, qua fronte dices, id accipi hic loci, & in hoc verborum contextu in illo? Tertio denique probandum erit, hanc ipsam significationem, non aliam, oportere in hoc verborum contextu locum habere. Quorum tamen nihil Auctor in suo Discursu, non dicam evicit solide, sed ne probare quidem & evincere conatus est.

§. XXXI. Quia contextum verborum Christi penitus expendenti, & alia loca parallela cum eo conferenti, patebit potius contrarium. Verba Christi occurrunt apud tres Evangelistas, *Matthæum* scilicet *cap. XIX, 9.* *Marcum* *cap. X, 11. 12.* & *Lucam* *cap. XVI, 18.* & in omnibus tribus locis verbum *μοιχᾶσθαι* bis ponitur in eodem verborum contextu: semel de viro, uxorem suam repudiante, & aliam ducente, & iterum de viro, repudiatam ducente, *Matth. XIX, 9.* *Luc. XVI, 18.* & rursus semel de viro, uxorem suam repudiante, & aliam ducente, itemque de uxore, virum repudiante, & alteri nubente, *Marc. X, 11. 12.* Quando autem de viro, repudiatam ducente, & de uxore, virum repudiante & alteri nubente, dicitur, quod mœchetur, concedunt ultro omnes, etiam ipse Auctor Discursus *p. 81.*

verbum *μοιχᾶται* accipi proprie, & mœchari proprie cum virum, ducentem repudiatam in uxorem, tum uxorem, quæ repudiato suo marito nubit alii viro. Quidni & proprie accipiatur, cum de viro, uxorem suam temere repudiante, & aliam uxorem ducente, idem dicitur, isque perinde, ut illi, proprie mœchari denominetur? Inveniunt porro rationem denominationis, patebit rursus eandem utrobique parem esse. Qui ducit repudiatam, propterea mœchatur proprie, juxta Auctorem Discursus *d. l.* quod repudiata, quam ducit, marito priori adhuc vinculo conjugali obligata sit; & cur proprie mœchetur, quæ, repudiato marito, nubit alteri viro, etiam causa redditur, quod marito priori adhuc vinculo conjugali obstricta sit. Quidni & maritus, qui repudiata uxore ducit aliam, proprie mœchari dicatur? cum & ipse uxori repudiatæ vinculo conjugali adhuc obligatus sit, & adsciscendo aliam in societatem tori torum conjugalem, quem vi vinculi conjugalis, adhuc perseverantis, cum dimissa constituit, æque polluat, ejusque jura violet, atque dimissa transeundo per nuptias in torum alterius mariti, torum, quem cum marito priori vi vinculi conjugalis, adhuc durantis, constituit, ejusque jura violat? Conferenti tertio loca parallela inter se, certum est, *Marcum cap. X, 11. 12.* annotasse verba Christi, quibus domi discipulos suos, de eadem divortii causa, de qua a tentantibus ipsum Phariseis fuerat interrogatus, informationem petentes, uberius erudit. Ita enim *Marcus d. l. v. 10. 11.* ait: *Et in domo rursus discipuli illius eadem de re interrogaverunt illum, & dicit illis: Quicumque repudiaverit &c.* Et quia *Matthæus cap. XIX, 9.* annotavit verba Christi, quibus prius & publice Phariseis, audiente omni turba, responderat, habentur posteriora, quibus discipulos suos Christus postea privatim informaverat, merito pro explicatione priorum, apud *Matthæum* occurrentium. Posteriora autem, quæ apud *Marcum* extant, explicant priora, quæ leguntur apud *Matthæum cap. XIX, 9.* *Quicumque repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, & duxerit aliam, μοιχᾶται mœchatur;* hunc in sensum: *Quicumque repudiaverit uxorem suam, & duxerit aliam, μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν mœchatur adversus illam.* Ubi voculæ ἐπ' αὐτὴν, istam violentam, omnique ratione destitutam detorsionem verbi *μοιχᾶται* in significationem

cationem ejus, quod est ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσαι, facit eam, dimissam, *mæchari*, prorsus excludunt. Si enim μοιχᾶσαι, de viro, uxorem dimittente & aliam ducente, dictum, idem denotaret, quod *facere, ut uxor dimissa mæchetur*, tum apud *Marcum cap. X, 11.* verba Christi: *Quicumque repudiaverit uxorem suam, & duxerit aliam, μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν*, hunc haberent sensum: *Quicumque repudiaverit uxorem suam, & duxerit aliam, FACIT, UT UXOR DIMISSA MŒCHETUR ADVERSUS ILLAM.* Sed quænam est αὐτὴ illa, adversus quam *mæchari* dicatur uxor dimissa? an illa est, quam maritus in ipsius locum duxit? sed quomodo, quo respectu, quo facto mæchari dici potest uxor, a marito repudiata, & ab eo avulsa, contra adulteram, quam ipsius loco maritus adulter in torum suum adscivit? num febrienti per somnium in mentem venerit hujusmodi stoliditas? An forsan adversus *seipsam* mæchatur, quod mæchando in suum proprium corpus peccet? juxta illud *Pauli 1 Corinth. VI, 18.* Sed sic non fuisset dicendum ἐπ' αὐτὴν, sed ἐφ' αὐτὴν, & reclamatur proinde huic detorsioni ipse textus Servatoris. Quarto denique cur *Matth. V, 32.* Christus de viro, uxorem suam repudiante, non perinde, ut *cap. XIX, 9.* de viro, uxorem suam repudiante, & *aliam ducente*, verbo μοιχᾶται, sed phrasi, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσαι, usus sit, superius reddita est ratio ex textu, ut nihil causæ sit, cur hunc locum ex illo explicemus, præsertim cum explicatio, quæ apud *Marcum* continetur, prorsus repugnet.

§. XXXII. Ne tamen fucus desit commento violentæ detorsionis, Auctor ex Philosophia in subsidium vocat distinctionem inter *causam physicam & moralem*, contenditque, virum, qui dimissa uxore sua ducit aliam, non *mæchari* quidem *proprie*, *mæchationem* tamen adscribi ei *improprie*, ut *causæ morali*, quod dimittendo uxorem causa moralis sit mæchationis, quam uxor dimissa ex sui dimissione incurrit. *Ascribitur ipsi separanti*, inquit p. 82. *ipsa mæchatio, tanquam causæ morali, uti in Scripturis usitatum est, id est, facit eam mæchari, ceu Matth. V. dicitur, sicuti Davidi adjudicatur occiso Uria, qui tamen propria manu non occiderat, erat tamen causa moralis ipsius homicidii.* Ita separans *proprie & immediate utitur*

non mœchetur, quia tamen est causa moralis ipsius mœchationis, a muliere exercendæ, adscribitur ipsi actio, &c.

§. XXXIII. Verum hæc etiam figmenta sunt, omni fundamento destituta. Primum enim dicenti, mœchationem tribui hic viro, uxorem suam dimittenti, & aliam ducenti, improprie, non quod ipse mœchetur, sed quod in genere morum causa sit, cur uxor dimissa mœchetur, nemo prudens habebit fidem, nisi prius tria illa, quæ modo diximus, momenta solide evicerit, nempe (1) propriam significationem verbi *μοιχᾶσαι* non posse in contextu verborum Christi locum habere (2) idem inveniri aliquando usurpatum in ea significatione, qua mœchari dicatur, qui non mœchatur ipse, sed in causa est, cur uxor sua mœchetur, & (3) hanc ipsam significationem oportere in illis verbis Christi, non aliam, locum habere. Quorum tamen nihil Auctor evicit. Dicat ergo primo, quæ necessitas cogat, ut virum, qui dimissa uxore ducit aliam, suo corpore & proprie mœchari negemus, qui tamen ducendo aliam, cum priori legitimæ uxori adhuc vinculo conjugali obstrictus sit, torum conjugalem, quem cum illa vi vinculi conjugalis adhuc constituit, suo corpore violat? Dicat porro, ubi usui loquendi recepto *mœchari* dicatur, qui mœchationem suo corpore non exercet, sed tantum causa moralis est mœchationis, ab alio vel alia exercendæ?

§. XXXIV. Quod dicit Auctor, *in Scripturis usitatum esse, ut causa morali adscribatur effectus, sicuti Davidi adjudicatur occisio Uriæ, qui tamen propria manu non occiderat, sed tantum causa moralis erat homicidii; de quibusdam effectibus procedit, non universaliter de omnibus.*

§. XXXV. Quod ut rectius intelligas, sciendum, effectus causarum esse duplicis generis, & quosdam terminari extra agentem in alio subjecto, uti sunt ædificare, agrum colere, occidere; alios vero terminari in ipso agente, cujusmodi sunt omnes actus immanentes, v. g. intelligere, velle, credere, amare &c. De prioris ordinis effectibus verum est, quod causæ morali non minus, quam causæ physicæ tribuantur. Sic paterfamilias dicitur colere agrum suum, non tantum qui agricola est, & sua manu regit aratrum equos.

ve ad vertendum solum, sed etiam qui servis suis agriculturam committit, illorumque opera ad eam peragendam utitur, & ædificare sibi domum dicitur, non tantum qui manibus suis, sed etiam qui suo jussu per alios eam ædificari curat: & Davidi tribuitur, quod Uriam gladio occiderit, qui tamen non præsens gladio, sua manu stricto, eum petierat & occiderat, sed tantum Joabo, Duci exercitus Israelitici, per literas mandaverat, ut eum gladio hostium occidendum objiceret, atque adeo moralis tantum causa erat cædis ipsius. Posterioris autem ordinis effectus causæ morali, ex usu loquendi, non adscribuntur, ita ut eam in casu recto denominent, sed hi solam sui causam physicam, neque tamen omnem, sed eam tantum, in qua & eliciuntur, & recipiuntur sive terminantur, in recto denominant. Sic pater, qui hortatur filium ad discendas literas, subministratque ei libros & sumtus, licet ipse literarum ignarus & rudis sit, in genere morum tamen causa est, ut filius evadat in virum doctum; nec ipse tamen propterea in virum doctum evadere dici potest. Et Ecclesiæ Doctor, qui hypocrita vel plane atheus est, docendo tamen Evangelium de Christo auditores suos ad fidem in Christum perducit, est causa moralis fidei auditorum, qua credunt in Christum, neque tamen ipse propterea dicitur credere in Christum: & Deus, qui per verbum prædicatum in eorundem cordibus efficax est, fidemque, qua in Christum credunt, in illis accendit, causa physica est fidei illorum, qua credunt in Christum: neque tamen Deus propterea in Christum credere dicitur, sed soli homines, in quorum intellectu ac voluntate actus credendi eliciuntur & terminantur, ab ea in Christum credere denominantur. Eadem aliorum etiam actuum immanentium ratio est.

§. XXXVI. Actibus animi immanentibus autem analogi sunt actus corporales, qui membris corporeis ita peraguntur, ut agentem ejusque corpus non egrediantur, sed in eo ipso terminantur: qui ut causam sui physicam, a qua exercentur, & in ejus corpore terminantur, in suo conceptu & definitione includunt, ita in casu recto eam solam denominant: sicut v. g. ebrietas contrahitur bibendo, & potum in ventriculum immittendo, & terminatur cum actus inebriationis, tum ebrietas, per eum contracta, in eo ipso, qui

qui largius bibit. Unde inebriatus aut ebrius non denominatur is, qui vel non, vel admodum parce bibit, jubendo tamen, ut alteri cuiuspiam propinetur largius, in genere morum causa est, ut alius inebrietur, sed is solus, qui largius bibit. Similiter scortatio & adulterium sunt actus, qui non patrantur, nisi ipsismet scortatoris & scorti, adulteri & adulteræ corporibus, & patrantur illis ita, ut in iisdem terminentur, & in suo conceptu ac definitione illa contentent. Quamobrem ab Apostolo dicuntur *peccata in proprium corpus*, 1 Cor. VI, 18. neque denominant scortatores & scortatrices, adulteros & adulteras, nisi eos, qui suis corporibus illos exercent: v. g. pater, qui filiam suam turpis lucri causa prostituit, facitque, ut ea scortetur, in genere morum causa per se est scortationis, quam exercet filia, neque tamen per hoc pater scortari aut scortator denominatur, quod causa sit, cur filia scortetur: cum scortari, uti dictum, vi sui conceptus & definitionis, nihil sit aliud quam suo corpore cum scorto aut scortatore se carnaliter miscere, quod non convenit patri, filiam suam prostituenti, si corpus suum a scorto ipse abstineat: & maritus, qui dimittit uxorem, quæ continere se non potest, in genere morum causa est (quamvis per accidens) ut uxor dimissa mœchetur, non tamen ipse, si corpus suum a commixtione cum alia muliere abstineat, propterea dici potest *mœchari*: cum *mœchatio*, vi sui conceptus & definitionis, sit commixtio corporum illicita, fidem & torum conjugalem violans, a qua in casu recto denominari, & mœchari dici non potest, nisi is qui suo corpore cum mœcha se carnaliter miscet. Unde *Matth. V, 32.* Christus non *mœchari* dicit eum, qui dimittit uxorem suam, & per hoc illam mœchationis periculo exponit, sicut *cap. XIX, 9. Marc. X, 11. & Luc. XVI, 18.* *mœchari* dicit eum, qui dimissa uxore sua dæcit aliam, & suo corpore se cum ea miscet, fidemque & torum conjugalem violat, sed notanter dicit: *ποιῆσὶ ἀντὴν μοιχᾶσαι*, FACIT EAM (dimissam) MOECHARI.

§. XXXVII. Secus autem res habet cum aliis actibus, qui ab agente in aliud transeunt subjectum. Hi enim in suo conceptu non includunt aliquam determinatam causam, quam in recto denominent, sed v. g. ædificatio est, quandoque lingua, lapides &c. juxta regulas

regulas artis aptantur, & ad constituendam domum inter se conjunguntur, sive paterfamilias ipse artis architectonicæ peritus sit, & omnia suis manibus peragat, sive suo jussu suisque sumtibus per alios peritos ædificatores, certa mercede conductos, omnia fieri curet. Unde & paterfamilias recte dicitur ædificare domum, & illi, qui ejus jussu & sumtibus ipsius illam extruunt: ille ut moralis, hi ut physica ædificationis causa. Similiter homicidium non includit in suo conceptu aliquam determinatam causam, sed occidere est vitam alicui adimere, a quocunque & quocunque modo id fiat, diciturque occidere & homicida, cum qui sua manu, vel gladio, vel cultro, vel fuste, vel securi, vel fune vitam alteri eripit, tum qui suo jussu, suafu, hortatu, vel promisso præmio aliquem ad occidendum inducit: hic rursus ut moralis; ille ut physica causa. Unde ex hoc, quod Davidi in Scripturis ut causæ morali adscribitur, quod Uriam gladio occiderit; minime concludi potest, viro etiam, uxorem suam illegitime dimittenti, aliamque ducenti, *Matth. XIX, 9*: adscribi mœchationis actum, ut causæ morali, sive per hoc, quod causa moralis sit, cur uxor dimissa mœchetur, ob manifestam & fere palpabilem diversitatem, per quam fit, ut cædes Uriæ Davidi; non autem mœchatio uxoris dimissæ marito, eam a se dimittenti, ut causæ morali in causa recto adscribi, nec ut illum homicidam illa, ita hunc mœchum hæc denominare recte possit. In sum ergo ab hoc etiam in causa morali positum commentum.

§. XXXVIII. Auctor Discursus videtur futilitatem istius commentum animaduertisse. Non enim in eo persistit, sed cum dixisset: *Ita separans proprie & immediate ut ut non mœchetur, quia tamen est causa moralis ipsius mœchationis, a muliere exercenda, adscribitur ipsi actio; addit statim: utpote qui etiam se separando, & ut agre faciat priori, insuper augendo crimen per superinductionem alterius mœchetur, sive committat aliquid contrarium pacto conjugali, seu violet torum conjugalem.* Πορνεῖα enim & μοιχᾶσα, ut SCHMID. in N. T. observat, significant in genere omnem violationem tori, quocunque modo id contingat, sive per adulterium, sive alio modo (per desertionem, separationem) contrario pacto conjugali. Jam certum est, separationem cum pacto conjugali non convenire. Quos enim

D

Deus

Deus conjunxit, homo ne separet. Quod novum commentum est, quo is, qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit, non moralis amplius, sed physica causa constituitur mœchationis. Si enim *πορνεύειν* & *μοιχᾶσθαι* significant in genere omnem violationem tori, quocumque modo id contingat, sive per adulterium, sive alio modo (per desertionem, separationem,) contrario pacto conjugali, is sane qui separat se ab uxore sua, proprie & immediate mœchabitur, & mœchationis actus adscribetur ei ut causæ physicæ: est enim causa physica actuum, quibus uxorem, dato ei libello repudii, a se separat, & aliam superinducit.

§. XXXIX. Est autem hoc, æque ac prius, futile commentum, quod non exemplis Scripturæ, vel auctorum secularium, qui in hoc generali significato *πορνεύειν* voce, vel verbo *μοιχᾶσθαι* usu fiat, sed sola SCHMIDII auctoritate confirmare satagit, neque tamen verba SCHMIDII adfert, vel locum, ubi extent, indicat, multo minus exempla, quibus is significationem hanc probatum ierit, producit. Ubi SCHMIDIVS in N. T. id quod ipse ei tribuit, observat? Quænam sunt verba observationis ipsius? Quo in loco N. Testamenti, notis & animadversionibus ab ipso illustrati, verba leguntur? In Not. ad *Matth. V, 32.* dicit quidem, *τὸν πόρνον* & *τὴν πόρνην* proprie dici, qui vel quæ seipsum vel seipsam vendit: Puerum meritorium, feminam meretricem: prostibulum, prostituens corpus suum libidini alterius, quæstus causa; postea autem accipi ea etiam pro quocumque scortatore, vel quacumque scortatrice, qui vel quæ rei incestæ, sive lucri sive libidinis causa, dat operam. Inde *τὴν πορνείαν* esse prostitutionem corporis, quæstus causa, proprie; deinde (accipi eandem) pro quavis scortatione, & incesta consuetudine, imo ipso etiam adulterio. Quod autem accipiatur etiam pro quolibet facto, pacto conjugali contrario, & speciatim pro desertione, separatione ab uxore, neque hic vel alibi, quod sciam, a beato SCHMIDIO dicitur, neque forsan Viro doctissimo in mentem venit. Verbum *μοιχᾶσθαι* mœchari autem explicat ibidem per *adulterum vel adulteram fieri, adulterium committere.* In Not. autem ad præcedentem *vers. 27.* agit de verbo *μοιχεύειν*, idque exponit per *adulterum esse, adulterium committere, & dicit, illud usurpari*

in activa voce proprie de viris, quamvis hic generaliter de utriusque sexus adulteris (Scriptura) loquatur, ut *Et Matth. XIX, 8. Marc. X, 19, Luc. XVIII, 20. Rom. XIII, 9. Jac. II, 11. sive absolute, ut Luc. XVI, 18. Rom. II, 22. sive cum accusativo persona feminea, ut hoc cap. v. 28. & tum reddendum stuprare, adulterio polluere, sive etiam cum prepositione *μετά* *Et* ejus casu, Apoc. II, 22. & tum reddendum, rem habere cum illa, adulterium committere cum illa. In passiva vero voce, ait, usurpari illud de feminis, *Et μοιχέουμαι* significare stupror, stuprari me patior, stuprendam me exhibeo. Quod autem *μοιχέω* vel *μοιχᾶσθαι*, in Scripturis, aut extra Scripturas alios seculares Scriptores Græcos, accipiat etiam de desertione uxoris, de separatione ab ea, deque aliis quibusvis pacto conjugali contrariis actibus, absque carnali copula, ejus rei nullum in SCHMIDIO vestigium invenio.*

S. XL. Objicienti, quod si mœchatio committatur a viro, uxorem suam dimittente, per ipsum separationis actum, non per superinductionem alterius uxoris, verba (*Et ducit aliam*) superflua fore; respondet ibidem pag. 83. negando. Hoc enim communiter separationem sequi, *Et adulterium seu violationem tori, per separationem exercitam, hoc pacto aggravari. Quia enim, pergit ibidem, marito injunctum, ut amet uxorem, Ephes. V, 25. nec se illi subtrahat, 1 Corinth. VII, 3. 5. certum est, quod qui illud per illegitimam separationem omittit, jam dum est adulter, non enim facit, quæ ex ipsa natura *Et* pacto conjugii facere debet, *Et* quia in ducendo alteram æque amorem *Et* debitum conjugale priori non tantum subtrahit, sed *Et* cum exclusione prioris alteri tribuit (ut ex Marc. X, 11. 12. non obscure videre licet, mœchatur cum ea) eo gravius peccat, *Et* eo justius adulter adpellatur: quo accedit, quod ductio alterius cedit separatae in ignominiam, *Et* ansam præbet adulterii per aliam maritalionem eum medium, ut ut incongruum, averruncandi contentus.*

S. XLI. Quicquid sit de objectione hac, responsio tota nititur superiori commento futili, quod adulterium committatur quocunque facto, pacto *Et* fidei conjugali contrario, etiam per nudam separationem ab uxore, vel per denegationem amoris aut subtractionem debiti conjugalis; & contra quod in casu repudii subsequentes

D 2

nuptiæ

nuptiæ cum superinducta non adulterinæ, conjunctæ tamen sint cum ignominia & injuria prioris repudiatæ uxoris, qua mariti adulterium, per dimissionem uxoris commissum, aggravetur. Quæ & cum usu loquendi & cum memoratis verbis Christi e diametro pugnant. Nusquam, ex usu loquendi, sacris vel secularibus Scripturis recepto, quævis pacti conjugalis violatio, aut quævis uxori illata ignominia & injuria adulterium dicitur, sed significatio hæc vocis *adulterii* purum putum figmentum est. Ex usu loquendi autem sola violatio tori & pacti conjugalis per copulam carnalem mariti cum alia muliere, vel uxoris cum alio viro; & sola ignominia & injuria, uxori a marito per commixtionem corporis sui cum alia muliere illata, proprie adulterium est, neque contrarium hactenus ex ullo loco sacræ aut alterius Scripturæ, quæ quidem alicujus auctoritas esset, probari potuit.

§. XLII. Cum ergo huic etiam commento nihil infit, quod vel speciem alicujus probabilitatis habeat, pergit Auctor, & auctoritatem Apostolorum in subsidium vocat. *Neque, inquit n. LXXV. pag. 83. Apostoli ita intellexerunt verba sui Salvatoris, & nupiam Polygamiam inter Judeos & Gentes tum usitatissimam, recensuerunt inter peccata, excludentia a regno cælorum, quod tamen necessarium fuisset, si a Christo prohibita.*

§. XLIII. Consequentia ejus est hæc: Apostoli nupiam recensuerunt polygamiam inter peccata, a regno Dei excludentia. Ergo non intellexerunt verba Salvatoris sui, sicut sonant, & usus loquendi fert, nempe quod qui dimissa uxore ducit aliam & polygamus fit, ducendo aliam, cum priori adhuc vinculo conjugali alligatus sit, adulterium committat. Quam consequentiam nullam esse, quis non videt? Quid enim? annon oppositum consequentis? Apostoli intellexerunt verba sui Salvatoris, uti sonant, nempe eum, qui dimissa uxore sua ducit aliam, ducendo aliam committere adulterium; simul stare potest cum antecedente, quod est, Apostoli polygamiam nupiam recensuerunt inter peccata, a regno cælorum excludentia? Quando autem oppositum consequentis non contradicit antecedenti, tum consequentiam non procedere, Logicis certum est.

§. XLIV.

§. XLIV. At, inquit Auctor, si Apostoli memorata verba sui Salvatoris intellexissent de prohibitione polygamias, debuissent polygamiam, inter Judæos & Gentes tum usitatissimam, inter peccata, a regno cœlorum excludentia, recensere. Sed hoc nusquam fecerunt. Ergo non intellexerunt ea de prohibitione polygamias.

§. XLV. Sed hæc æque, ac prior, infirma consequentia est. Concludit enim ab auctoritate Apostolorum negative. Constat autem inter omnes, quod ab auctoritate Scripturæ sacræ Scriptorumque sacrorum non liceat negative concludere, nisi in quæstionibus de articulis fidei. Neque tamen in quæstionibus de articulis fidei etiam ab aliqua vel aliquibus partibus Scripturæ, aut ab aliquibus Scriptoribus sacris negative concludere licet, sed ab universa demum Scriptura sacra, aut ab omnibus Scriptoribus sacris ducenda sunt argumenta negativa: v. g. non procedit consequentia hæc: in aliquibus Scripturæ libris nihil extat de purgatorio. Ergo purgatorium non est, vel purgatorium esse, non est articulus fidei: est enim argumentum a particulari; sed sic est formanda consequentia: In universa Scriptura Canonica nihil habetur de purgatorio. Ergo purgatorium non est, vel purgatorium esse non est articulus fidei. Unde si faciamus, argumenta negativa ab auctoritate Scripturæ Scriptorumque sacrorum procedere perinde in quæstionibus de agendis, ut in quæstionibus de credendis, tamen consequentia hæc: Apostoli non recensuerunt polygamiam inter peccata, a regno cœlorum excludentia. Ergo Polygamia a Christo *Matth. XIX, 9.* non fuit prohibita; adhuc vacillabit: procedit enim a particulari ad universale. Quod si proponatur universaliter hoc modo: In universa Scriptura Polygamia non recensetur inter peccata, a regno cœlorum excludentia; & inferatur: Ergo a Christo *Matth. XIX, 9.* non fuit prohibita, tum in antecedente sub universa Scriptura vel continebitur locus *Matth. XIX, 9.* vel locus hic excipietur. Si illud, tum in antecedente committetur petitio ejus, quod est in principio. Hoc ipsum enim jam est in quæstione, annon in Scriptura sacra, & quidem in *cap. XIX, 9. Matthæi*, ut & in aliis parallelis locis, Polygamia eo ipso peccatis, a regno cœlorum excludentibus, accensetur, quo peccato adulterii accensetur? Sin hoc? adhuc antecedens particulare

culare erit. Nam exceptio vel unicus Scripturæ loci tollit universalitatem, vel, ut ita loquar, totalitatem Scripturæ sacræ. Deinde falsum & hoc est, quod Apostoli polygamiam non recensuerint inter peccata, a regno cælorum excludentia. Audiverant illi a Magistro suo Christo plus simplici vice, quod qui vinculo conjugali uxori suæ adhuc est obstrictus, & ducendo aliam polygamus fit, adulterium committat, atque adeo polygamos sub adulteris contineri, pro certo habebant. Unde quotiescunque adulterium in genere recensuerunt inter peccata, a regno cælorum excludentia, polygamiam etiam inter ea recensuerunt: cum quæ de genere dicuntur, etiam de qualibet ejus specie dicta intelligantur. Adulterium autem peccatis, a regno cælorum excludentibus, expresse accensetur a Paulo *1. Corinth. VI, 9. 10. Gal. V, 19. 21.*

§. XLVI. Atque hæc sunt commenta illa, quibus Auctor Discursus Politici de Polygamia argumentum, ex *Matth. XIX, 9.* deductum, & modernis propugnatoribus Polygamias oppositum, impugnatum, imo eversum ivit, sed, uti patet, conatu irrito, & successu plane nullo. Summa illorum, ut paucis repetam, redit hæc: *I. Matth. XIX, 9. ne verbum extare de polygamia.* Quod falsum esse; & si verum esset, nostro tamen argumento nihil hinc detractum iri, ostensum est supra §. XVII. & XVIII. II. In verbis Christi: *Quicumque se separaverit ab uxore sua, excepta fornicatione, & aliam duxerit, mæchatur,* verbum *mæchari* explicari ab ipsomet *Matthæo cap. V, 32.* per *νοίειν μοιχᾶσαι*, *facere mæchari, & tribui mæchationem viro, uxorem dimittenti, ut causa morali, non quod ipse mæchetur, sed quod uxorem dimissam mæchari faciat.* Quod ipsum quoque falsum esse, pugnare cum usu loquendi, adversari Evangelistæ *Marc. X, 11.* explicanti illud per *μοιχᾶσαι ἐπ' αὐτήν*, *mæchari adversus illam, quod est virum mæchari contra uxorem dimissam, non facere ut dimissa mæchetur contra aliam mulierem; & pugnare cum natura mæchationis, demonstratum est superius a §. XVIII. usque ad §. XXXVII. III. Πορεύειν & μοιχᾶσαι, observante SCHMIDIO in N. T. significare in genere omnem violationem tori, quocumque modo (per desertionem, separationem) contrario pacto conjugali. Quod rursus purum putum signum esse, ejus-*

que

que nec in Scriptura, nec in SCHMIDII notis ad N. T. ullum vel leve vestigium extare, ostensum est §. XXXIX. & seq. Excussis ergo & discussis ita Auctoris commentis omnibus, quibus vim verborum Christi Matth. XIX. 9. elidere laboravit, perstat utique nostrum ex illis deductum argumentum etiamnum invictum, manetque fixum & firmum, quod diximus, Polygamiam pugnare cum primæva institutione conjugii, adeoque cum jure naturali & divino.

§. XLVII. Cæterum Auctor Discursus Politici primus non est, qui in verbis Servatoris Matth. XIX. 9. obscurandis & pervertendis improbam insumsit operam, sed idem ante eum fecerunt faciuntque ex Pontificiis non infimi nominis Scriptores, qui ne concedere cogantur, in fornicationis casu licere marito uxorem adulteram a se separare, non tantum quoad torum, sed etiam quoad vinculum, transformant illa in duas completas enunciationes, quarum una concernat eum, qui dimiserit uxorem suam, non ob adulterium, sed alia quacunque de causa; altera illum, qui dimissa uxore ducit aliam. Priorem volunt esse: *Quisquis dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, nec aliam duxerit, mæchatur*; alteram: *Quisquis dimiserit uxorem ob fornicationem, & aliam duxerit, etiam mæchatur, non quia adulteram dimisit, sed quia alteram duxit*. Atque hinc demum concludunt, in casu adulterii licere quidem viro adulteram a se separare quoad torum, non tamen quoad vinculum conjugale. Verbum *μοιχᾶται* autem contendunt aliter accipiendum esse in priori; aliter in posteriori enunciatione: in hac accipiendum illud esse proprie pro *mæchari* sive *adulterium committere*; in illa improprie pro *facere mæchari*, hocque probatum eunt ex Matth. V. 32. *Si ob aliam causam, quam ob fornicationem, (vir) dimiserit (uxorem suam) quamvis aliam non duxerit, mæchatur, quia uxorem suam MOECHARI FACIT, ut cap. V. 32. explicatur. Si autem ob fornicationem dimiserit, & alteram duxit, etiam mæchatur: non quia adulteram dimisit, sed quia alteram duxit. Itaque verbum, mæchatur, hoc loco & ad eum, qui ob aliam causam, quam ob fornicationem, uxorem dimisit, & ad eum, qui cum ob fornicationem uxorem dimisit, alteram duxerit, referendum est, tanquam si dixerit, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mæchatur.*

id

id est, facit eam mœchari, & quicumque alteram duxerit, (quacunque de causa priore dimissa) mœchatur, id est, adulterium contra priorem uxorem committit, ut Marcus interpretatur, inquit Jesuita MALDONATUS in Comment. in cap. XIX, 9. Matthæi. Gemina commentus est CORNELIVS A LAPIDE in Comment. in h. l. ubi easdem fere, quas Auctor Discursus Politici, rationes commentu sui adfert: nempe eum, qui dimittit uxorem non adulteram, sed castam & innoxiam, nec aliam ducit, mœchari, tum quia violet jus matrimonii & uxoris suæ, quod sit quoddam mœchari; mœchiam enim significare vitium directe repugnans matrimonio, quale sit dimissio uxoris insonis, tum quia mœchetur, id est, faciat eam mœchari, uti explicet Christus Matth. V, 32. Verba enim Hiphil, id est, activa simpliciter per duplicem actionem exponenda esse, uti norint Ebraice periti. Quæ ad duas illas ab Auctore Discursus Politici confictas rationes redeunt: Unam quidem, quam Auctor B. ERASMO SCHMIDIO in Not. ad N. Testam. adscribit, quamvis, ut vidimus, falso, nempe $\mu\omicron\iota\chi\tilde{\alpha}\tau\alpha\iota$ significare in genere omnem violationem tori, quocunque modo id contingat, sive per adulterium, sive alio modo (per desertionem, separationem) contrario pacto conjugali. Alteram vero, qua idem viro, uxorem suam dimittenti & aliam ducenti, mœchationem adscribi dicit, ut causa morali; non quod ipse mœchetur, sed quod uxorem dimissam mœchari faciat. Quando enim verba in Kal ad imitationem verborum Hiphil duplicem denotant actionem, prior actio communiter moralis est.

§. XLVIII. Non jam expendam altius, rectene verba Christi Matth. XIX, 9. resolvantur in prædictas duas enunciationes completas? Neque an verbum $\mu\omicron\iota\chi\tilde{\alpha}\tau\alpha\iota$, in uno eodemque contextu semel positum duplicem significationem: propriam unam, alteram impropiam, actu suslinere possit? Hæc enim ad præsens nostrum institutum non spectant, quanquam in commento utroque Sophistas verbis Christi vim inferre, nemo, puto, inficiabitur, qui penitius ea inspexerit. In priori quidem: quia verba Christi: *Quisquis dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ut prædicatum unum, ita non nisi unum subjectum habent, quod est: *Quisquis*, sive omnis vir, qui non ob fornicationem, sed

alia

alia quacunque de causa *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit;* & de hoc enunciatur, quod *mæchetur*. De altero autem subjecto, nempe de viro, *qui ob fornicationem dimiserit uxorem suam, nec aliam duxerit*, nihil extat in illis, multo minus de eo dicitur, quod *non mæchetur*, sed hoc, quicquid est, additur iisdem præter Christi intentionem, nulla cogente necessitate, & contra regulas bonæ interpretationis. Vi exceptionis quidem, in iisdem contentæ: *nisi ob fornicationem;* per consequentiam ex illis inferri potest, *cum, qui ob fornicationem dimittit uxorem suam, & ducit aliam*, non quidem *mæchari*, ut nugatores illi, reclamantibus & usu loquendi & bonis regulis consequentiarum, ineptissime fingunt, sed contrarium, nempe *cum non mæchari*, atque adeo posse maritum, citrà adulterii culpam, se ab uxore adultera cum quoad torum, tum quoad vinculam separare, ut in *Theſibus de Conjugio th. XLIII.* ostensum fuit. In posteriori autem commento iisdem verbis Christi infertur vis: quia uni verbo, in uno eodemque contextu semel posito, actus duplicem significationem tribuere, propriam unam; alteram impropriam; est illud in duo quasi verba, v. g. unum verbum *νοχῆσαι* in hæc duo: *mæchari, & facere mæchari*, detorquere, quod non tantum violentum, sed etiam tam absurdum est auditu, quam absurdum est dicere, unam & eandem rem simul actu duas habere formas essentielles, inter se pugnantes. Significatio enim actualis, quam in contextu vox sustinet, est ejus in illo contextu positæ formæ actualis; quæ non nisi una esse potest.

§. XLIX. Quod verò contendunt Pontificii, *mæchiam significare quodvis vitium, directe repugnans matrimonio, quale sit dimissio uxoris infantis, eamque tribui Matth. XIX, 9. viro, uxorem castam & innoxiam dimittenti, nec aliam ducenti, non quod ipse mæchetur, sed tum quod violet jus matrimonii & uxoris suæ, quod fit quoddam mæchari, tum quod faciat eam mæchari;* hæc commenta illa sunt, quæ huc spectant. In his enim sufflant idem cum *Auctore Discursus Politici* cornu: imo illi, præsertim CORNELIUS A LAPIDE, videntur huic prævillisse, & faciem prætulisse.

§. L. Ut autem nunc taceam aperte falsum esse, quod dicunt, *Matth. XIX, 9. tribui mæchiam ei, qui dimittit uxorem castam & in-*
E
noxiam,

naxiam, nec aliam ducit: cum verba Christi expresse loquantur de eo, qui dimittit uxorem suam (non ob fornicationem, sed alia de causa) ET ALIAM DUCIT: quia ad colorandam prius commentum, quod *mæchia* in genere significet vitium directe repugnans matrimonio, quale sit dimissio uxoris insontis; CORNELIVS A LAPIDE nihil novi affert, nihil sane causæ est, ut iis, quibus superius idem Auctoris Discursus Politici commentum impugnatum iuimus, quicquam hic superaddamus. De altero autem, quod verbum *μοιχᾶσαι* Matth. XIX, 9. ex cap. V, 32. eiusdem Evangelistæ explicandum sit per *facere mæchari*, quia CORNELIVS A LAPIDE illud alio, & quidem Ebraismi furo in crustare conatur, aliquid adiciendum est.

§. LI. Non autem inficiamur, verba in *Kal* accipi quandoque apud Ebræos in significatione *Hiphil*, & denotare duplicem actionem; sed universaliter de omnibus verbis in *Kal* id procedere, falsissimum est. Unde nisi a particulari ad universale concludere velit CORNELIVS A LAPIDE, primo omnium ei probandum incumbet, verbum *פָּנָה*, cui Græcum *μοιχᾶσαι* respondet, accipi apud Ebræos in *Kal* quandoque in significatione *Hiphil*, pro eo, quod est *facere mæchari*. Quod usque adeo falsum est, ut inductione omnium, in Scripturis occurrentium, exemplorum ostendi possit, illud non tantum in *Kal* nusquam usurpari in significatione *Hiphil*, pro ut duplicem denotat actionem, & idem significat, quod *facere mæchari*, ut ne semel quidem in conjugatione *Hiphil* usurpatum inveniatur in universa Scriptura. Qua fronte igitur dici potest, verbum *μοιχᾶσαι* usurpari apud Matth. XIX, 9. per Ebraismum, five locutione, textui Ebræo Scripturæ V. T. peculiari & propria, pro *facere mæchari*, cum tamen in Scripturis V. T. Ebræum *פָּנָה*, cui Græcum *μοιχᾶσαι* respondet, & ad cuius imitationem sic accipi dicitur, neque in *Kal* usquam in toto codice Scripturæ V. Test. significationem illam obtinet, neque ullibi in conjugatione *Hiphil*, cuius alias propria est illa significatio, usurpatum inveniatur? Qua specie veritatis Matthæo tribuetur Ebraismus, quem textus Ebræus V. T. penitus ignorat? Deinde si vel maxime Ebræum *פָּנָה* alicubi locorum in *Kal* usurpatum inveniretur in significatione *Hiphil*, pro

ut duplicem significat actionem, & idem denotat, quod *facere machari*, (quod tamen falsissimum est) non tamen concludi hinc posset, etiam Græcum *μοιχᾶσαι* apud *Matthæum cap. XIX, 9.* accipiendum esse in hoc significato. Nam significatio conjugationis *Hiphil*, quando verbis in conjugatione *Kal* tribuitur, est impropria, nec locum habere potest, nisi prius ex contextu solide evictum sit, significationem conjugationis *Kal*, quæ sola, ut Ebræo *פָּנָה* in *Kal*, ita & Græco *μοιχᾶσαι* genuina & propria est, non posse locum habere. Quod huc usque a nemine solide evictum est. Ita hi impostores sumunt sibi licentiam fingendi & Scripturis affigendi quidvis, sine fundamento, reclamante & usu loquendi, & Scriptura, & ratione sana, & clamant deinde dissento rictu, Scripturam esse ambiguam, obscuram, & nihil certi posse ex ea concludi, etiam in locis, quæ vel ipsa solis luce clariora sunt: sicut *MALDONATUS* de verbis Christi *Matth. XIX, 9.* quibus vix quicquam clarius dici poterat, post offusas illis multiplices tenebras inclamat: *Matthæus scripsit obscure, ita ut de ejus sensu atque interpretatione inter nos & hereticos disceptetur: quis non intelligit, hominis esse prudentis, Matthæi obscurum locum ex Marci & Lucae perspicuis verbis interpretari?*

§. LII. Sed plus satis de loco *Matth. XIX, 9.* Ab eo Auctor *Discursus Politici* progreditur ad locum Paulinam *1 Corinth. VII, 4.* *Uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus, similiter & maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Ex quo etiam argumentum contra Polygamiam deduci solet, & a nobis deductum est in *Thef. de Conjugio ib. LV.* In eo autem elidendo rursum Auctor valde sese torquet. *Arcessunt quidem, inquit, communiter, seu causa suæ patronum hostes Polygamias Apostolum Paulum, qui 1 Corinth. VII. dicit: Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir. Sed omnia in vanum.*

§. LIII. Hæc autem verba Paulina in vanum afferri, & Polygamias propugnatoribus opponi, probat hunc in modum: *Sicut enim in illis verbis Christi: Sicut misit me Pater meus, ita ego mitto vos: non illico omnibus modis æqualis missio filii & discipulorum*

concipienda est (datur enim, ut in confesso est, aliqua & maxima quidem differentia) ita etiam in illis verbis non aequalis potestas mulieris & mariti in corpora mutua est intelligenda.

§. LIV. Verum hæc ejus ratio nervum argumenti, quod ex verbis *Pauli* allegatis contra Polygamiam deduci solet, non attingit. Illud enim non ex loco finilium, sed ex loco repugnantium desumtum est, & huc redit: Qui non habet jus & potestatem sui corporis, sed interveniente pacto perpetuo & irrevocabili illam contulit in uxorem, is non habet jus & potestatem uxori, adhuc viventi, superinducendi aliam. Atqui maritus non habet jus & potestatem sui corporis, sed interveniente pacto perpetuo & irrevocabili illam contulit in uxorem. Ergo maritus non habet jus & potestatem uxori, adhuc viventi, superinducendi aliam. Major propositio probatur; quia uxori superinducere aliam, est pacto conjugali perpetuo & irrevocabili potestatem sui corporis alteri uxori facere. Repugnat autem, aliquem non habere potestatem sui corporis, sed contulisse illam pacto conjugali perpetuo & irrevocabili in uxorem priorem, & tamen eandem pacto conjugali perpetuo & irrevocabili conferre in alteram, uxore, quæ eam jure & pacto irrevocabili habet, adhuc vivente. Quomodo enim quis conferet alteri, quod non amplius habet, sed pacto perpetuo & irrevocabili jam ante alteri contulit? Minor propositio est *Pauli*, expresse dicentis: *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Hæc vero non habet eam aliunde, quam ex pacto conjugali perpetuo & irrevocabili, quod cum marito per contractum matrimonii iniit. Aut ergo verum est, quod dicit *Apostolus*, virum non habere potestatem sui corporis, sed uxorem, aut falsum est. Falsum esse, citra impietatem, nemo dixerit. Sin verum est, quid argumento nostro hinc decedit, quod ex verbis *Christi*: *Sicut misit me Pater meus, ita ego mitto vos;* non licet inferre, omnibus *moais* æqualem esse missionem filii & discipulorum; Ergone propterea etiam ex verbis *Pauli*: *maritus non habet potestatem sui corporis, sed uxor,* non licet concludere, *maritum non habere jus & potestatem uxori priori superinducendi aliam?* annon hoc est a baculo ad angulum concludere? Similia non esse ultra sphaeram similitudinis extendenda, & esse in aliquibus etiam dissimilia,

similia, bene novimus. Sed quid hoc ad præfens, ubi non ex loco similiarum deducitur argumentum?

§. LV. Hinc in fumum abeunt omnia, quæ ibidem Auctor prolixè adfert, ut inter potestatem mariti & uxoris inæqualitatem quandam intercedere evincat. Dicit: *Maritum majorem habere potestatem, ipsa Scriptura infinitis locis insinuat.* Esto! insinuet hoc ipsa Scriptura infinitis locis! hoc tamen fixum firmumque maneat oportet, quod *maritus, utut alias ejus potestas major sit, quam uxoris, non habeat potestatem sui corporis, sed uxor: cum diserte hoc dicat Paulus.*

§. LVI. Dicit porro: *Maritus est Dominus mulieris, poterat inquirere in virginitatem sponsæ, Zelotypiam per aquam amararam probativam exercere, repudiare etiam, quæ mulier non poterat.* Sed hinc nondum sequitur, eum habere etiam potestatem sui corporis, ut uxore priore adhuc vivente, aliam ducere, eique corporis sui potestatem per novum pactum conjugale facere possit. Præterquam enim, quod Paulus expressis verbis contradicit, & ait, eum *non habere potestatem sui corporis, sed uxorem*, oppositum etiam consequentis non repugnat antecedenti. Non enim pugnant inter se, maritum non habere potestatem sui corporis, sed uxorem, ut ipsi integrum non sit, uxore adhuc vivente, ducere aliam, eique potestatem sui corporis facere, quod est contradictorium consequentis; & tamen eum *posse inquirere in virginitatem sponsæ suæ, Zelotypiam per aquam amararam probativam exercere in uxorem, & eam, ubi inventa esset adultera, repudiare*, quæ ipsum antecedens constituunt. Neque e contrario inferre licet: Mulier non est Domina mariti, non poterat inquirere in virginitatem sponsi sui, zelotypiam erga illum exercere per aquam amararam probativam, repudiare maritum. Ergo uxor non habet potestatem in corpus mariti ex pacto conjugali perpetuo & irrevocabili, ut, se vivente, maritus eam in uxorem aliam conferre non possit. Possunt enim rursus omnia, quæ in antecedente continentur, cum opposito consequentis simul stare. Quanquam, ex parte antecedentis, non male THEOPHYLACTVS in Comment. in h. l. ait, *uxorem esse servam & dominam; & similiter maritum esse servum & Dominum: servam illam & servum hunc:*

.XII.

E ;

quia

quia neuter habet potestatem in suum corpus, sed pars altera, nempe in corpus uxoris maritus, & in corpus mariti uxor: *dominam illam, & dominum huic*: quia illa in corpus mariti, hic in corpus uxoris jus & potestatem habet. Et uxorem etiam potuisse eodem jure repudiare maritum, quo maritus uxorem, haud obscure innuit Christus *Marc. X, 12.* licet forsân, ut uxor repudiaret maritum, usu inter Judæos non ita receptum fuerit.

§. LVII. Tertio ait: *Ipse Paulus dicit, mulier est alligata viro, quamdiu vir vivit, ita ut non possit alteri nubere.* Polygamia etenim muliebris seu multiviratus est contra legem Dei, VI. & X. præceptum. Nusquam vero dicit Paulus, quod vir sit alligatus mulieri, quamdiu mulier vivit, ut non possit aliam ducere. Polygynacia enim non est prohibita. Sed hæc etiam nullius momenti sunt. Primum enim quamvis Paulus non dicat, quod vir sit alligatus mulieri, quamdiu mulier vivit, Christus tamen, quoad rem, hoc dicit, cum docet, *Virum, dimittentem uxorem, extra causam adulterii, & ducentem aliam, committere adulterium.* Hoc ipso enim significat, maritum alligatum esse uxori, quamdiu ea vivit, ut aliam ducere non possit citra adulterii culpam. Deinde quemadmodum polygamia muliebris est contra legem Dei, & quidem contra sextum & decimum præceptum, ita & polygamia virilis. Præcepta Decalogi enim obligant æque sexum utrumque, & quæ sexui uni, ea alteri etiam prohibent.

§. LVIII. Quarto dicit: *Mulier quidem habet etiam aliquam potestatem in corpus mariti, quoad debitum conjugale, seu εὐνοίας γαμικῆν, cum non est pragnans, & vir non est debilis & morbidus.* Ita tamen ut omnia mariti arbitrio relinquat, qui uti in se ita in uxore potest & debet refrenare concupiscentias inordinatas, aut ad interitum mariti spectantes. Maritus potest suum corpus, præter voluntatem uxoris, non tantum cum est pragnans, sterili, vetula, communicare alteri, ancillæ, sed & quancumque vult, ut videmus in Abrahamo, Jacobo, Davide, aliisque. Cum non vult aut potest mulier, veniat ancilla, ita tamen, ut ad finem vitæ, seu uxor secundaria, retineatur, ne incurratur in penam scortationis, a Deo prohibita.

§. LIX.

§. LIX. Nos non negamus, potestatem, quam alter conjugum in alterius corpus habet, non debere inordinate quovis modo exerceri, sed sana rationi convenienter, & habita ratione muliebris pudoris, modestiæ, & reverentiæ erga maritum. Negamus autem, quod potestas uxoris in corpus mariti non longius, quam ad *ενοιαν γαμικην* & debitum conjugale se porrigat. Præterquam enim, quod restrictio hæc apud Paulum non extat, Christus etiam *Matth. XIX, 9. Marc. X, 11. & Luc. XVI, 18.* significat hand obscure, eam porrigere se eo usque, ut maritus, etiam quando de facto ab uxore sua se separavit, non habeat potestatem sui corporis, ut novo pacto conjugali uxori alteri illius potestatem facere possit. Dicit enim expresse, virum, qui alia, quam adulterii causa, dimiserit uxorem, & duxerit aliam, *μοιχαρι*. Non autem μοιχαιetur, si haberet potestatem sui corporis, ut aliam uxorem ducere possit. Neque de casu extraordinario, quo uxor non habilis & ad debitum conjugale inepta est, quaeritur, quid juris tum marito conveniat: quo in casu ei judicis Ecclesiastici sententia expectanda est; sed de potestate ordinaria, quam de lege communi in maritus, ad procreationem sobolis idoneus, in corpus uxoris, itidem ad hunc finem aptæ, & hæc vicissim in illius corpus habeat. Maritum eo casu, quo uxor *pregnans aut vetula est, & quandoocunque vult, posse suum corpus, præter voluntatem uxoris, ancilla vel alteri communicare, modo usque ad finem vite, ut uxor secundaria, retineatur*, assertio est, viris spurcis quidem & carnali concupiscentiæ mancipatis grata, sed quæ primæ conjugii institutioni ejusque uberiori a Christo traditiæ explicationi e diametro repugnat. Neque ad eam fulciendam idonea sunt Patrum V. T. exempla. Præterquam enim quod illi, non prava libidine, sed pio & ex spe promissi Messiæ excitato desiderio prolis ducti, ancillis communicarunt corpora sua: de legibus etiam non ex exemplis, sed ex legibus de exemplis judicandum est, neque viris libidinosi statim ad explenda carnis desideria, ut licita, in exemplum trahere licet, quæ olim a sanctis non ex prava libidine, sed pia intentione facta esse legimus.

medi §. LX. Quinto denique dicit Auctor Discursus pag. 89. *Et præterea non video, quid obstat, quo minus altera uxor, ob parem contractum*



contractum maritalem, etiam paria jura & sine confusione aequè communia habere possit (Sicut filii multi aequalia jura respectu parentum habent) illud tamen jus seu potestas mulieris in virum multas patitur limitationes, & extra seu citra congruum concubitum conjugalem non habet locum, nec ultra, quam res conjugii, quæ ex sine æstimanda sunt, extendi debent, alias maritum oporteret esse simul Dominum & servum, quod absurdum. Et idem jus, quod mulier habet in postulando debito conjugali, habet maritus ob parem in ipsius corpus potestatem in recusando.

§. LXI. Verum hæc etiam ejusdem cum præcedentibus objectionibus farinæ sunt. Aequè enim, atque illæ, vagantur extra oleas, neque nervum nostri argumenti attingunt. Percurremus ea breviter. Et primum quidem quid obstat, quo minus altera uxor, ob parem contractum maritalem, etiam paria jura & sine confusione aequè communia cum uxore priorè habere possit, si non videt Auctor Discursus, profecto parum acute videt. Contractum maritalem enim cum altera superinducta uxore non esse parem contractui maritali cum prima & legitima uxore, facile vident, qui non plane exsultant. Nam in contractu maritali, cum uxore prima ineundo, habebat maritus plenam potestatem sui corporis, & poterat eam, cæteris paribus, per illum facere, cuicumque vellet mulieri: contractu autem conjugali cum illa prima uxore semel initio, potestatem sui corporis non amplius habebat, sed uxor, docente Apostolo expressis verbis, & quia eam non amplius habebat, non poterat eam per novum contractum maritalem alteri conferre uxori, & erat proinde contractus maritalis cum altera, ob defectum potestatis contrahendi in marito, ipso jure irritus & nullus. Distat ergo contractus maritalis cum altera uxore a contractu maritali cum uxore priorè tantum, quantum contractus licitus ab illicito, ratus ab irritato distat. Hinc prior uxor, ut sola legitima conjux est, ita sola gaudet juribus conjugalibus; posterior autem, ut legitima conjux non est, ita nec juribus conjugalibus ullis gaudet. Simile autem desumptum a filiis multis, qui aequalia jura habent respectu eorundem parentum, prorsus dissimile est, & plane huc non quadrat. Quæ enim jura habent filii respectu parentum, ea non habent ex inito cum parentibus contractu

contractu libero, ut multæ uxores ad unum maritum, si qua jura habent, ex contractu libero cum eo inito habent, sed ex naturali sui dependentia ab illis per generationem. Sicut autem potestas generandi in parentibus nullo, neque naturæ neque divino, jure ad unum generationis actum determinata, sed natura indifferens est & æqualiter se habet ad plures generationis actus, ita merito plures filii æqualia habent jura ad eosdem parentes, ob æqualem sui ab iisdem parentibus dependentiam per naturalem generationem. Non autem æqualiter se habet potestas contrahendi de communicatione sui corporis, nec ex parte unius mariti ad plures uxores, nec ex parte plurium uxorum ad unum maritum. Illius enim potestas, vi primævæ institutionis conjugii, determinata est ad contrahendum cum una tantum uxore; & harum potestas contrahendi, vi ejusdem, determinata est ad contrahendum cum viro, uxori nondum alligato, ut hæctenus ostensum. Unde polygami sola uxor prima ut potestatem contrahendi, ita & jura conjugalia, ex contractu mutuo resultantia, habet: reliquæ, ut potestatem contrahendi cum viro, matrimonio jam dum alligato, non habent, ita nec jura conjugalia ulla ex contractu illicito & sua natura irrito habere possunt. Deinde quascunque tandem limitationes patiatur jus seu potestas mulieris in virum, hoc tamen maneat oportet fixum & firmum, uxoris primæ maritum non posse cum alia, jure & potestate illius salva, contractum maritalem inire, quamdiu prior vivit. Quod enim potestas, quam uxor prima vi contractus maritalis in corpus mariti habet, longius, quam ad actus mutæ benevolentia, & eo usque se porrigat, ut nec potestatem habeat maritus aliud ineundi matrimonium, & alteri cuidam corporis sui potestatem faciendi, quamdiu uxor prima vivit, modo ostensum est. Videatur præced. §. LVII. Tertio maritum esse simul *Dominum & servum*, diverso tamen respectu: *Dominum* respectu juris & potestatis, quam in corpus uxoris habet; *servum* vero respectu juris & potestatis, quam vicissim uxor in ipsius corpus habet, absurdum non esse, modo dictum, & in *Thef. de Conjugio* th. LVIII. verbis THEOPHYLACTI in *Comm. in 1 Corinth. VII, 4.* ostensum est. Denique *idem jus, quod mulier habet in postulando debito conjugali, habere maritum in recusando,*

F

ob

ob parem in ipsius corpus potestatem, pugnat cum doctrina Apostoli, qui potestatem conjugum mutuam in sua corpora non extendit ad potestatem recusandi debitum conjugale, sed ad jus & potestatem illud postulandi. Unde *seq. v. 5.* vetat, ne alter conjugum alteri debitum conjugale deneget, sed si a mutua benevolentia ad tempus, ut *vacent jejuniis & precibus*, abstinere velint, hortatur, ut *ex consensu* id faciant, nec alter alterum invitum, contra jus, quod ad eam postulandam habet, defraudet, & Satanæ ad tentationes periculosas januam aperiat.

§. LXII. Atque hæc ad loca Scripturæ *Matth. XIX, 9.* & *1 Corinth. VII, 4.* in quibus, uti vidimus, merito Theologi in hac, quæ de polygamia est, controversia *arcem cause sue* ponunt, ab Auctoris Discursus Politici frivolis commentis & violentis detorsionibus vindicanda, sufficiant. Longius progredi, & quæ pro adstruenda & propugnanda Polygamia in Discursu suo prolixè disputat, hic expendere nimis foret prolixum. Non enim pondere, sed numero argumentorum pugnat, & quæ hic in medium attulit argumenta, in Dialogo de Polygamia, lingua vernacula sub nomine IOHANNIS LYSERI edito: unum enim Scripti utriusque Auctorem esse, legenti & alterum cum altero conferenti vix dubium esse poterit; repetivit, & centum numeravit. Quæ licet omnia futilia, lubrica & infirma sint, tamen si ordine excuti debeant, ob varias, quas continent, argutias, Scripturarum detorsiones & perversiones, aliasque fraudes & artes illaudatas, plus exigent operæ & temporis, quam per occupationes mihi nunc conceditur. Ad fontes præcipuos saltem, ex quibus jactata centum argumenta maximam partem, velut rivuli, profluxerunt, lectorem, paucissimis tamen, deducam.

§. LXIII. Primus & potissimus illorum fons est hypothesis illa, quod conjugii institutio contineatur verbis: *Crescite & multiplicamini*; quibus Deus in prima creatione protoplastis & pariter brutis animantibus; & post diluvium Noacho ejusque filiis benedixit, *Genes. I, 22. 28. cap. IX, 9.* Quod autem *Genes. II, 24.* legitur: *Idcirco relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt in unam carnem*; **concernere tantum historiam**

ricam narrationem verborum Adæ, quibus in primis nuptiis, velut primus sponsus usus fuerit, non conjugii institutionem. *Quantum*, inquit pag. 18. *verius dicendo illis verbis: Crescite & multiplicamini, que Polygamiam, ceu probatum est, stabiliunt, instituat* conjugium, reliqua vero pertinent ad narrationem primarum nuptiarum Adamicarum, & ostenditur, masculum simul & semel cum pluribus non posse maritali, sed ad exemplum Jacobi unam post alteram ducendam. Et pag. 24. *Lamechus vero deliberata mente, PRIMAM CONIUGII INSTITUTIONEM & verba preceptiva catholica: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, penitus considerans, obedientiam prestare, & se pro virili multiplicare satagens, duas duxit uxores &c.*

§. LXIV. Sane si verba divinæ benedictionis: *Crescite & multiplicamini*; ipsam conjugii institutionem continent, conjugium in suo esse specifico nihil includet, præter concursum maris & feminae ad procreationem sobolis, quo genus humanum, nata subinde nova prole auctum, conservetur & propagetur. Neque enim, præter conjunctionem maris & feminae ad sui multiplicationem, quicquam continent. Erit ergo conjugium, vi divinæ institutionis, nihil aliud, quam conjunctio maris & feminae ad procreationem sobolis, sive unus cum una tantum femina, sive successive cum pluribus, sicut brutis animantibus consuetum est, ad procreationem sobolis sese misceat, modo illud: *Crescite & multiplicamini*; impleatur. Neque inter conjugium divinitus inter homines institutum, & inter promiscuam brutorum commixtionem ad sui multiplicationem, ex parte divinæ institutionis quidem, quicquam intercedit discriminis. Quod non diffitetur Auctor, quando pag. 51. a brutali, quam vocat, *Polygamia ad Polygamiam inter homines argumentatur, hunc in modum: Genes. XXXII. notatu dignum occurrit, quod Jacob ad fratrem reconciliandum ipsi ob viam miserit dona, nempe 200. capras & 20. capros, 200. oves & 20. arietes, 40. vaccas & 10. boves. Ubi animadvertimus, Jacobum pastorem inter bestias & jumenta sua Polygamiam; si ita appellare licet, observasse, quod & hodiernum faciunt omnes pastores, bubulci, equisones, imo universi Oeconomi & Patresfamilias, qui Gallis plures adjungunt gallinas.*

F 2

Jam

Jam si Polygamia inter homines est peccatum, quia est contra primam creationem, ubi Deus masculum & feminam creavit, etiam Polygamia inter bruta erit peccatum, quia etiam cum prima creatione non concordat, ubi etiam Deus par & par creavit. Par & par intrabant in arcam &c. Sicuti vero pastores non peccant, quando brutis masculis plures femellas admittunt. Ita Magistratus, qui pastorum officium gerit, non peccat, si subditis Polygamiam concedit &c. Hæc ille, bruto potius, quam homine digna! quæ etiam primo statim auditu piis & castis auribus ita absurda sunt, ut refutationem non mereantur, sed ea recitasse, refutasse sit.

§. LXV. Facultas generandi quidem est animæ vegetativæ facultas, & propterea hominibus cum brutis animantibus communis, quod nemo diffiteretur. Quemadmodum autem inter homines & bruta id interest discriminis, quod illi ratione & voluntate libera pollent; hæc ratione & libertate appetitus destituuntur: ita in hominibus facultas generandi, quoad exercitium actuum, rationis judicio, & voluntatis liberæ imperio subest, potestque in actu constitui judicio sanæ rationis convenienter & ad ejus præscriptum, vel etiam disconvenienter rationi sanæ, & contra illius dictamen, prout voluntas libera vel paret recto rationis judicio, vel sensuum judicio ducta, eidem refragatur: & in quantum ad præscriptum sanæ rationis, vel contra illud exercetur, in tantum ejus actus bonitatis & malitiæ moralis capaces sunt. In brutis vero animantibus facultas generandi, quoad exercitium, subest simpliciter sensuum judicio & sensitivo appetitui, qui ut libertatis expertus & necessarius est, ita & ejus actus bonitatis ac malitiæ moralis expertes sunt.

§. LXVI. Quomodo autem in homine exerceri debeant actus generationis, ut regulæ rectitudinis moralis convenient, & in suo esse specifico sint actus conjugales, moraliter boni, legitimi & liciti, primæva conjugii institutio præscribit & præcipit. Est enim omnibus divinitus institutis rebus & actibus commune, ut per divinam institutionem in suo esse specifico sanciantur & constituentur, sitque v. g. conjugium verum & legitimum, quod ita, ut institutum, initum est, & actus conjugales legitimi & liciti sunt, qui institutioni conjugii convenienter fiunt. Contra autem conjunctio maris & femine
ad

ad procreationem sobolis, divinæ institutioni disconveniens, non conjugium, sed illicita illorum conjunctio, & scortatio vel adulterium est. Quia autem verba benedictionis: *Crescite & multiplicamini*; non præscribunt, quomodo mas & femina ad procreationem sobolis & sui multiplicationem conjungi, & facultatis generativæ actus, ut regulæ rectitudinis moralis conformes, moraliter boni, legitimi & liciti sint, exerceri debeant, sed tantum jubent homines ac bruta *crescere & se multiplicare*, atque adeo actus generandi exercere, nemo non intelligit, ea non posse haberi pro primæva institutione sive sanctione conjugii & actuum conjugalium in suo esse specifico. Contra vero ex verbis *Genes. II, 24. Idcirco relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unam*; accessit Christus *Matth. XIX, 5. seqq.* iudicium de natura conjugii & vinculi conjugalis, docetque, iis sancitum & constitutum esse, ut vir & mulier jungantur, non promiscue quilibet mas cum qualibet femina, ut in brutis fieri videmus, sed unus mas cum una femina, ut duo vinculo indissolubili sint & coalescant in unam carnem, & deserta domo paterna suam propriam domum constituent, & generatione prolis augeant. Quæ ipsa conjugii institutio & sanctio in natura quoque fundata, & hominum mentibus implantata est, ut omnes populi & gentes, in quibus aliquod honestatis ac virtutum studium viget, ea pro regula habeant, quæ conjugium sancitum & in suo esse specifico constitutum sit, & cui conjugium omne conformari oporteat. Videantur, quæ in *Thes. de Conjugio. lb. VII. VIII. & lb. XXXII. seqq.* fusius hanc in rem dicta sunt. Verba igitur, jam ex *Genes. II, 24.* producta, continent institutionem conjugii, non illa *Genes. I, 28. Crescite & multiplicamini.* illa enim, quæ in *Genes. I, 28.* dicitur, non est institutio, sed *Genes. I, 28.* s. LXVII. Quamquam vero verbis: *Crescite & multiplicamini*; quæ nudum exercitium actuum generandi concernunt, Deus in prima creatione etiam brutis animantibus benedixit, & generationis actus, quoad exercitium, illis cum hominibus communes sunt, discrimen tamen inter utrorumque actus, modo assignatum, manet inconcussum, quod scilicet quos in suo genere bruta, ratione destituta, exercent sine ratione, eos homines cum ratione, & regulæ rectitudinis

hominis convenienter exercere oporteat. Unde a brutis ad homines argumentari, & ex eo, quod in brutis animantibus unum masculum cum pluribus foemellis se miscere, peccatum non est, concludere, quod in hominibus etiam Polygamia non sit peccatum, non hominis est, cui mens sana est in corpore sano, sed ejus, qui rationis usu destitutus, iastat bruti, brutalem affectuum & concupiscentiarum ductum sequitur.

§. LXVIII. Quibus observatis, pars non exigua argumentorum, cum in Auctoris *Discursu*, tum in *Dialogo Monogami & Polygami* pro adstruenda Polygamia adductorum, ultro & sponte sua cadet, ut ad ea respondere facile cuivis in promptu futurum sit.

§. LXIX. Altera Auctoris *Discursus Politici* hypothesis est, *Conjugium esse contractum mere Politicum* sive civilem. Ita in præloquio ad omnes Magistratus, summos & infimos, inter alia: *Vestrum, inquit, erit, benevolentissimis oculis sine præjudicio aspicere, patrocinio dignissimo contra omnes malevolos tueri, & Heroico animo (Polygamiam) CEV CONTRACTVM PVRE POLITICVM, ad vos solos spectantem, introducere &c.* Atque ex hoc velut fonte fluunt, quæcunque ducit, argumenta a *paritate contractuum*, quos Polygamus cum pluribus uxoribus init, a *libera potestate communicandi corpus suum* pluribus uxoribus, citra injuriam uxoris primæ; ab *æqualibus juribus*, quæ uxores plures ad unum maritum; ob paritatem contractuum, habere possint; itemque quæ de *diversitate* inter *superinductionem uxoris* in casu divortii, & inter *superinductionem uxoris alterius in Polygamia* disputat, quod illa fiat sine consensu uxoris primæ dimissæ, & cum illius injuria; hæc consentiente prima, & citra illius injuriam fiat. Quæ omnia præsupponunt tanquam certum, virum & pariter mulierem, ut in aliis civilibus contractibus, ita & in contractu conjugali, habere liberam facultatem, illum quidem paciscendi de suo corpore, ineundique matrimonium cum una, duabus, vel pluribus uxoribus, hanc vero paciscendi de suo corpore, cum permessa viro libera facultate alias plures superinducendi uxores. Quod e diametro pugnat cum primæ institutione conjugii, ejusque a Christo *Matth. XIX, s. seqq.* & ab Apostolo Paulo *1 Cor. VII, 4.* tradita declaratione, cujus vi Deus ipse copulat & jungit

jungit maritum & uxorem vinculo ita indissolubili in unam carnem, ut nemo hominum eos separare possit, aut debeat, & vi ejusdem vir, per contractum conjugalem, usque adeo abdicat se jure & potestate in proprium corpus, ut eam non amplius habeat, sed uxor, nec vel uxorem semel ductam, a se dimittere, sive repudiare, vel ea de facto & illegitime dimissa, potestatem in suum corpus, ei semel concessam, recuperare possit, ut uxorem aliam in locum dimissæ ducere ipsi liceat, citra adulterii culpam. Similiter uxor, vi primæ institutionis, ita accipit potestatem in corpus mariti, velut in partem suæ carnis, ut tam non possit consentire, ut alteri cuidam ejus potestas fiat, quam a marito, cum quo ab ipso Deo indissolubiliter copulata & in unam carnem conjuncta est, se separare non potest. Quæ liquido evincunt, Conjugium non esse contractum mere civilem: alias enim, sicut mutuo contrahentium consensu initur, ita mutuo eorundem dissensu dissolvi posset, & viro integrum esset potestatem corporis sui conferre in uxorem cum abdicative, non reservata sibi potestate ad communicandum corpus suum alteri uxori, tum cumulative, uti loquuntur, sive ita, ut quantum juris in suum corpus facit uni uxori, tantum alii vel aliis facere possit; & uxor posset libere cedere de jure, quod vi contractus conjugalis in corpus mariti habet, & permittere, ut tantum juris, quantum ipsa habet, alteri uxori a marito in corpus suum conferatur. Quæ omnia absurdum sunt, & cum primæ institutione, a Christo *Matth. XIX.* uberiorius declarata, pugnant. Quo observato, rursus magna *Discursus Politici* pars in fumum abiit.

§. LXX. Tertia hypothesis est: *Quod licuit Patribus V. T. & in iis a Deo reprehensum punitumque non est, id hodie in N. T. etiam cuius sine culpa & impune licere.* Quam falsam esse, in hac ipsa Dissertatione sparsim ostensum est. Videatur §. XLIII, seqq. & §. LIX. &c. Quo rursus observato, cadent argumenta omnia, ex Scriptura V. T. ab exemplis Polygamorum, cum Sanctorum Patriarcharum, tum impiorum Cainitarum desumpta.

* * * * *



EO - Beg 2002

01 A 6739

ULB Halle
003 096 890
ULB Sachsen-Anhalt
Ausgeschieden
Datum: 2008



Sb.

D.

Reh. ✓

46
Juli





m. 11

IOHANNIS
THEOL. D. ET PROF. PRIMARI
QVONDAM CELE

DISSERTATIONE
DE
QVAESTIONE CO
AN CONI
PRIMAEVA EIVS
TIONE SALVA, INTE
DVOS, ESSE
AD MATTH. XIX, 9. ET

Oder:
Gründliche Erörterung
Ob der Zustand, nach
zung, zwischen mehr, als
geführt werd



EDITIO NO
IENAE, APVD IO. FRI



B.I.C

Farbkarte #13

